

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

A standard linear barcode is located at the top of the white sticker.

3 1761 01516629 1

UNIV. OF  
TORONTO  
LIBRARY















20


EMANUELIS SWEDENBORGII  
OPERA POETICA



EE  
S9744 p

# EMANUELIS SWEDENBORGII

## OPERA POETICA



113033  
30 / 51 "

UP SALIAE  
TYPIS ACADEMICIS  
MDCCCCX



SOCIETATI SWEDENBORGIANAE

LONDINENSI

FESTUM SAECULARE CELEBRANTI

UNIVERSITAS UPSALIENSIS.



I.

Post nubila Phœbus.

Effter mörka moln och dimma,  
Plägar solen härligt glimma,  
Effter kalla wintren kommer  
Wåren och then blide sommer.

Korteligen besinnat.

Tå

Then Ährewyrdige och Hög-Wällärde

HERREN,

Hr. JOHANNES KOLMODINUS,

wälförtient och wacksamme Kyrkioherde i Nysätra församling,  
Ingick

Ett ouplösligt ächta Förbund

Med

Then Ehreborna, Gudfruchtiga och Dygd-  
älskanda JUNGFRUN,

Jungf. BEATA HESSELIA.

Som firades i Folekiärna Prästegård i många fornäma Personers  
biwistande, den 27 Maji Åhr 1700.

skyldigst framwist

af

EMANUEL SWEDBERG.

**J**Ag hade icke trodt, thet skulle så snart blifwa  
Ett ächta folck af them, som sig nu sammangifwa.  
Men HERren som alt rår, och styrer med sin hand,  
Han skickar mycket wäl, thet man ey tänckia kan.

GUD är en vnders GUD, som vnderliga lagar.  
Han gier ey sina barn, hwad altid them behagar.  
Men delar skiftewis, nu ondt nu åter godt:  
Och gier them wäxlewis, af bögge rågat mått.

Ett slickt förandrings sätt ha I Herr Brudgum pröfwat;  
Tå Döden hade sidst Ehr liufwa Sohl bortröfwat.  
Men ser then samme GUD, Ehr, min, och alles Fahr  
Han gier nu Ehr igen Ehr förra solskins dar.

Och Ehr, vår täcka Brud, såg jag i sorge-slöja  
Begråta then som I med rätto ock må sörja.  
Men ser hur HERren GUD han blandar sorg med frögd:  
Och risar Eder så at I doch blifwen nögd.

Så har GUD wisligt giort, med alla ting på jorden.  
Först gjorde Han en natt, (så lyda helga Orden)  
Men sedan hades fram en dag som lyste klar.  
Sij vppå sorg och gråt så följa Glädie-Dar.

I werlden går så til, man måst' här mycket lida:  
Ei ewigt molnet är; här kommer solen blida.  
När sorgens tiocka moln af HERran skingrad är,  
Så lyser glädie sol oß vpp fast täck och skiär.

Jag borde nu Ehr dygd, Herr Brudgum wackert skrifwa:  
 Som jag thet nog ei kan, måst jag thet låta blifwa:  
 Och fägnar mig theråt, at höra hvar jag kan;  
 Herr JOHAN KOLMODIN är fromm och redlig man.

Jag borde jämwäl nu, ock brudens dygder nämna,  
 Men jag förmår thet ei, och wil thet androm lämna.  
**BEATA** heter hon: lyksalig är hon wist;  
 På dygd och fromhet täck är ther alzingen brist.

Til tig, o store GUD, jag slutlig mig nu wänder:  
 Och til tin höga thron en wyrdsam böñ framsänder.  
 Tu med tin nådes sol så lyse thetta par,  
 Att thet tins mildhets lius må röna alla dar.

Gif theßa fromma tv, at thet i ängla-lefnad  
 Må sammanbo och bli, med lust och önsklig trefnad.  
 Lät thet så stå i dag uti sin brudeskrud,  
 At thet för Lamsens thron må ewigt bli tin brud!!

---

## II.

Til

Herr Candidaten [CHR. G. NOTMAN].

**H**Ur Lifland har GUDZ nåd i forna tider funnit,  
 Thet lärer NOTMAN wäl i thetta lärde wärck.  
 Men hur thet nu skal bli ifrån GUDZ wrede wunnit,  
 Ther til wil större konst. O GUD vår Konung stärck!

EMANUEL SWEDBERG.

---

### III.

Doctissimo & Ornatissimo Juveni  
D. BENEDICTO BREDBERG,  
Eruditum De ASTERISMIS labore:

CUr, BENEDICTE, Tuos sublimia flectis ad astra  
Sensus, terrigenas linquens? cur sidera visis?  
Ætherei campi fortassis ductus amore,  
Sidera vis celeri rimari mente corusca,  
Metarique animo totum sollerter Olympum.  
Macte bonis cœptis, ô fausto sidere nate!  
Stelliferumque polum perlustra mente sagaci.  
Non juvat igniferum flammis perfundere lumen,  
Nec pro sidereis ausis pia fundere vota,  
Divite cum pensent cultorem munere cœli.  
Heic, tamen opto, poli læteris imagine pulchri,  
Dum super alta Deus Te tandem sidera tollat.

Ex animo gratulatur  
EM: SWEDBERG.

---

IV.

PATRIÆ

Planctus & Lacrimæ,

In Funere

S:æ R:æ M:tis Magnæ quondam Fidei VIRI,

Reverendissimi atq; Excellentissimi,

Doct. ERICI

BENZELII,

Regni Sveciæ ARCHIEPISCOPI, &

Reg. Academiæ Upsaliensis PROCANCELLARII

Eminentissimi;

Quum, bonorum omnium luctu, justa Ei fierent exsequalia

in templo Upsaliensi Cathedrali, die S. Erici.

Ann. 1709.

---

SCARIS, Ex Officina KIELLBERGIANA.

**H**Eu mihi! BENZELI, quorsum? Pater optime, currus,  
Quique equitum turmæ solus ad instar eras.  
Heu! modò tantus ubi? Restant libamina fletus,  
Singultus, planctus, oscula, justa, vale.  
Illa ego, quæ fueram Sacrorum Rege superba;  
Humecto lacrimis jam sua busta meis.  
Exsequias pullæ nigras nunc ite Camenæ,  
Inversis Musæ fascibus ite piæ.  
Tu tamen ante alios tantas, Upsalia, clades,  
Et tua mixta meis, & mea damna dole.  
Quicquid ubique pium est, ferales fundito lessus;  
Musarum princeps occidit ante diem.  
Occidit ante diem; Non vos incuso, sorores:  
Traxistis, fateor, non cita fila colo.  
Attamen hæc poterat mors immatura videri,  
Vel superet Pylium Nestora longa dies.  
Heu mihi! passæ ubi jam BENZELI ad sidera palmæ?  
Juverat hisce Patris fortia facta mei.  
Utque sacram Regis studiis monitisque juventam;  
Sic juvit votis arma VIRUMque suis.  
In me quid meriti? Non marmore opusque tabellis;  
Quot vivunt, meriti tot monumenta Tui.  
Ipsa ego defuncto spargam Tibi lilia, flores;  
Pyramis ipsa Tibi, præfica, marmor ero.

Inque meis oculis præsens hærebit imago,  
     Cani illi & vultus, illi oculi, ille vigor.  
 Conditur oh! decor ille Tuus, speciosaque forma,  
     Sidereique oculi: conditur ille vigor.  
 Conditur id pectus niveum, communia templæ  
     Virtutum, Charitum, Sicelidumque chori.  
 Spes pariter multæ tumulis conduntur iisdem,  
     Ne, precor, o utinam! spes pariterque mea.  
 Udos nunc oculos hoc illuc anxia verto,  
     Hic dolor a tandem quo relevandus erit?  
 O utinam suppar Nostroque similimus exstet,  
     A quo speranda huic sit medicina malo!  
 Jamque brevi, superest, ut signem carmine cippum,  
     Sic longum clamem voce gemente: Vale.

\*                   \*

Heic jacet exigua clausus BENZELIUS urna,  
     Quo nihil in sacris Svecia majus habet.  
 Si quæris titulos? Omneis emensus honores  
     Elogia exsuperat nomine cuncta suo.  
 Si quæris mores? lutulento illimis ab ævo;  
     Secli amor, & sidus, regula, gemma fuit.

---



V.

JESPERI SWEDBERGII,

Doct. & Episcopi Scarensis,

*Parentis Optimus,*

Canticum Svecicum,

V n g d o m s R e g e l

och

Å l d e r d o m s S p e g e l,

Ex Ecclesiast: c. XII.

Latino Carmine

Exhibitum

AB

EMANUELE SWEDBERGIO,

FILIO.

---

SCARIS,

Typis KIELBERGIANIS.

Ann. MDCCIX.

**H**uc properate viri, huc pueris comitata juventus;  
Huc, qui venturi præscius esse cupis.  
Vos & adeste, precor, quibus ultima vivitur ætas.  
Vos quoque, quos nondum curva senecta premit.  
Conticeant sortes, volucres, oracula, fibræ:  
Majori heic Salomo Numine fata canit.

vers. 1.

Ovum tua florescens, juvenis, prima incipit ætas,  
Lætificant animum gaudia mille tuum.  
Te, juvenis, totum exhilarent oculosque animumque  
Plurima cum ludis gaudia mista tuis.

v. 2.

Sed tamen esto memor, quod erit post fata tribunal:  
Qvod Deus & judex omnibus unus erit.  
Hinc tua non habeant spatiolum gaudia campum;  
Sed maneant circo & limite clausa suo.  
Vivite sic genio, timeatur ut undique judex:  
Temperet ut sanctus gaudia vestra timor.

v. 3.

Exulet hinc planctus, gemitus, hinc exulet ira;  
Et quisquis lassat corpora nostra dolor.  
Labitur a puero quod tempus ad usque juventam,  
Vanum est; id totum lapsus & error habent.

## v. 4.

Qvum procul extremis vivis semotus ab annis,  
 In memori, juvenis, pectore Numen habe.  
 Excipit en ætas mala difficilisque juventam:  
 Et querulus dices: displicet illa mihi.

## v. 5.

Scilicet aufugint lumen, sol, sidera, luna.  
 Gaudia diffugint corpore prisca suo.  
 Dispereuntque vigor, geminum cum lumine sidus;  
 Lætus in ore rubor, sidereusque decor.  
 Nubila succedunt & hiems & nimbus & imber.  
 Succedunt morbi, tristia fata, gelu:  
 Nubilus & mœrens animus, lentique dolores.  
 Præsentitque hiemem corpore sæpe senex.

## v. 6.

Et quatitur geminus tremulo cum corpore custos;  
 Invalidusque nequit munus obire suum.  
 Suntque manus rigidæ, plenæ rugis, trepidantque;  
 Et custos baculo nititur ipse tremens.  
 Robore prævalidi curvo sub pondere nutant:  
 Succiduusque poples tardaque crura labant.  
 Pes modo prævalidus nunc en vestigia qværit  
 Lubricus, & dubium fertque refertque gradum.  
 Qui Cererem minuet molitor stat rarus inersque:  
 Vix dens convellit parvula frusta dolens:  
 Vel penitus nullus, vel stat sine lege relictus,  
 Vel tremulus quoque, vel fuscus in ore senum.

Lumina trans geminas caligant missa fenestras:  
 Inque senili fit tempore visus hebes.  
 Hinc oculos hebetes præmunit grandior ætas,  
 Convexoque juvat lumina bina vitro.

## v. 7.

In plateis portæ sunt heu munimine clausæ;  
 Obsequiumque sibi torpida labra negant.  
 Est velut in primis jam jam mors pallida labris:  
 Insidet illa tremor pallidiorque color.  
 Non mola consveto resonat stridore sonoque:  
 Neve sonus remanet voxve canora seni.  
 Evigilat somno querulus qvum intercinit ales;  
 Rumpitur & leni murmure grata quies:  
 Vixque potest oculos lassos submittere somno,  
 Sed vigilem lectum nocte dieque fovet.  
 Obstruitur premiturque seni sua filia cantus,  
 Et velut ex surda pellitur aure sonus.  
 Utraque grandævis auris ceu flaccida pendet:  
 Utraque præclusa aut semiaperta sono est.

## v. 8.

Culmen & alta senes metuunt & compita curvi;  
 Planitieque manent; & manet illa senes.  
 Bis pueri fiunt, metuunt bis strata viarum.  
 Bisque timet titubans carpere poples iter.  
 Et formosa comis frondescit amygdalus albis:  
 Canescit viridis nempe senecta comis.

Tempora canities ambit ceu pulcra corona,  
 Ceu cingit laurus vel diadema caput.  
 Pondere deprimitur, cecinit quæ æstate, cicada.  
 Sic senibus seapulæ, vultus & ossa rigent.  
 Sunt ipsi gracieles, exsiccanturque medullæ;  
 Ossa extant humeris, contrahiturque cutis.  
 Gaudia quot juvenum fugiunt, heu quanta voluptas!  
 Qvot subeunt morbi, tædia, damna, mala!

## v. 9.

Quoslibet en homines rapit inclemens mortis:  
 Nec semel hinc abiens fit redivivus homo.  
 Circuit & vicos mestissima turba forumque,  
 Et fletu tepidas imbuit illa genas.  
 Orba parente domus, conjux viduata marito  
 Ejulat, & plangit pignora quisque sua.  
 Præfica venales lessus lamentaque ficta  
 Fundens subsequitur funera lenta gradu.

## v. 10.

Candidus argenti funis disrumpitur intus.  
 Corpora qui nutrit succus & humor abit.  
 Langvet & excurrit fons fulvo concolor auro;  
 Et quisquis circum est pectora sangvis hebet.  
 Egelido frigent effœtæ in corpore vires;  
 Vix & in exsangvi pectore vena tepet.  
 En situla ad puteum veluti rimosa fatiscit.  
 En quoque tabescunt viscera sicca senum.

Frigidulos tepidus sangvis vix permeat artus;  
 Venaque langvidius frigidiusque salit.  
 Ad puteum tandem rotulæ dissolvitur orbis.  
 Sangvinis & puteus diffluit atque calor.  
 Frigida mors animâ lassos qvum separat artus,  
 Spiritus & sangvis diffugit, umbra manet.

## v. 11.

Nos fuimus pulvis, erimus post funera pulvis;  
 Quod dederat repetit seque reposcit humus.  
 Quot numero tellus peperit, tot & illa recondit.  
 Sic eadem nutrix, mater & urna manet.  
 In cœlos animus revolat patriamque revisit:  
 Et fruitur felix perpetuusque Deo.  
 Spiritus hinc abiens sibi junctos exuit artus:  
 Induit at cœlos, induiturque Deo.

## v. 12.

Hinc juvenis, quicquid lato resplendet in orbe,  
 Est veluti mimus, fumus & umbra, nihil.  
 Omnia dispereunt: gemmæ franguntur & aurum:  
 Funera post, pietas sola perennis erit.  
 Hæc docuit Pastor, cui Sancto est sancta potestas.  
 Hæc eadem, juvenis, pectore volve tuo.

## v. 13.

Non modus & finis vulgandi est scripta per orbem.  
 Vix habet en numerum dives arena parem.

Utque carent numero volucres, ut in æqvore pisces,  
     Sic caret & numero multus in orbe liber.  
 Plurima pars fumos, steriles sine pondere voces  
     Venditat, et jactat verba canora, nugas.  
 Te, caveas, fallat frons insidiosa libelli:  
     Sæpius in dulci melle venena latent.  
 Sit, juvenis, tuus unus amor, tua sola voluptas,  
     Perpetuo verbis invigilare sacris.  
 Hoc ineas adytum, hæc vatum sacraria lustres,  
     Heic tibi delitiæ, pabula, nectar erunt.  
 His juvat in studiis exsomnes ducere noctes:  
     His sacris curis insenuisse juvat.  
 Ut sol præradiat rutilis fulgoribus astra:  
     Sic liber exsuperat cætera scripta sacer.  
 Fatidicus Clarius, tripodes, & Delphica laurus,  
     Has sacras tabulas sanctaque verba stupent.  
 Debilitant juvenum vigilatæ corpora noctes,  
     Et faciunt similes noctibus esse suis.  
 Invitant maciem, lentumque in viscera morbum,  
     Concolor & morti livor in ora subit.

## v. 14.

Dic age præcipuum quid toto discitur orbe?  
     Quæ studii norma & regula, finis erit?  
 Quicquid sacra docent Divini oracula verbi;  
     Quod docet omnipotens omnisciusque Deus;  
 Auribus hoc rapias avidis, hoc mente recondas:  
     Jugiter hoc volvas, suspiciasque, colas.

## v. 15.

Scilicet ut superos timeas, præceptaque serves:  
 Ut tua sit verbis consona vita Dei.  
 Utque habeas Trino sacratum Numine pectus,  
 Et tua dent templum pectora casta Deo.  
 Hinc plausus veniunt, commixta hinc gaudia ludis,  
 Inficit & nullus gaudia tanta dolor.

## v. 16.

Maximus in puncto dissolvitur orbis & axis.  
 Emicat e cœlis Arbiter ipse celer.  
 Hic reteget tectum, latuit quod, mittet in auras.  
 Hic dabit in stygios crimina fœda lacus.  
 Cui pietas & amor, cui mens in pectore sancta,  
 Ei dabit ipse Deus se sine fine frui:  
 Inque ejus diadema comis, in fronte coronam,  
 In manibus sceptrum ponet, in ore jubar.

---

*Carmen quoque illud Svecicum JESPERI SWEDBERGII,  
libro ejus qui UNGDOMS REGEL OCH ÅLDERDOMS SPEGEL (Scaris  
1709) inscribitur insertum, versioni EMANUELIS filii latinae  
hic adjungimus:*

UNGDOMS REGEL  
och  
ÅLDERDOMS SPEGEL,  
af Salom. Predik. 12. Kap.

1.

SÅ gläd tig, tu yngling, i vngdomen tin:  
Och lät nu titt hierta gladt vara.  
Och giör hwad tig faller i hug och i sinn:  
Lät sorgen longt från tig bortfara.

2.

Men thetta ther jemte ock weta tu skalt,  
Och lät tig doch icke bedåra:  
At HERREN Gud skal tig för thetta, och alt,  
Framhafwa för domen then swåra.

3.

Legg bort ifrå hiertat all qwidan och lät:  
Och lät ifrå kroppen thet onda.  
Ty barndom och wisdom the följas ei åt.  
Fåfänglighet giör vngdomen wonda.

4.

Ty tenek på tin Skapar' i vngdomen tin,  
Förn åhren och elake dagar  
The nalkas, at säija tig kommer i sinn:  
Alt thetta mig illa behagar.

## 5.

Förn solen och månen the mista sitt sken;  
 Och stiernorna mörcke mon wara.  
 Hwad liust hafwer warit thet lider nu mehn:  
 Regn, moln om hwart annat the fara.

## 6.

Tå wächtarne i huset the darrande stå:  
 The starcke de krökia sig vnder.  
 Och mölnarne fåfenge äro, och få:  
 Och synen i fönstret blir skumer.

## 7.

Nu dörar på gatonne slutas ock til.  
 Och rösten af qvernarna lyctas.  
 Man waknar när foglen han siunger så gill.  
 Och songennes döttrar nedtryckias.

## 8.

The fruchta för högden, och rädas på wäg.  
 Och mandelträ blomstras allsamman.  
 Och gräshoppan tynges. Ei kiäre mig säg:  
 Hwar är nu tin lust, och tin gammans?

## 9.

Ty menskian dör borrt med qwidan och sorg:  
 Hon kommer sehn aldrig mehr åter.  
 Man hörer på gator, på grender och torg,  
 Hur' ene then andra han gråter.

## 10.

Och silstoget brister, sin wäg nu thet far:  
 Och gullkellan är nu vtrunnen.  
 Wid brunnen är gisnad bäd' embor och kar.  
 Ah! hiulet är sönder wid brunnen!

## 11.

Ty stoftet thet moste ju åter til jord;  
 Och anden til Gud, som then gifwer.  
 Af jord ästu kommen, af jord ästu giord:  
 Til jord tu ock sedan förblifwer.

## 12.

Alt är tå fäfengligt, fäfengligt alt är.  
 Så lär tå thet ewigt förblifwer.  
 Thet lärer Gudz ord, theß Mestare kär.  
 Thet Herden then Ene tig gifwer.

## 13.

Så tag tig til wahra, min yngling, och lär  
 Lät andra tig icke förföra.  
 At dichta mong böker ei ende thet är:  
 Mong läsning mong plågor tig giöra.

## 14.

Nu lät oß tå höra och merckia wel til,  
 Hwad summan är vtaf all lärdom.  
 Hwad Herren han talar, som god är och mill:  
 Thet achtom, thet giömom, thet werdom.

## 15.

Ty fruchta och wyrda och elska tin GUD:  
 Lät thetta tig liggia på hierta.  
 Betrachta, wel achta, halt gerna hans bud.  
 Så hafwer tu frögd vlan smerta.

## 16.

Ty fram skal Gud hafwa för domen alt, alt,  
 All gerning, all trachtan, all tancka.  
 Ja alt med titt lönda vppenbaras tu skalt;  
 Ondt, gott tu på tig här mon samka.

---

VI.

[Pl. Rev. studiis, meritis atque pietate  
Clarissimo VIRO,

Dn. ANDREÆ AMB. UNGE,

Poës. & Eloq. apud Scarenses Lectori,  
secundum tenorem constitut. Reg. pro  
spartâ ibid. Theologicâ, Upsalis  
disputaturo;]

**S**I celeres possem felix condescendere currus,  
Non vacuo nixus poplite, sive pede:  
Has viduas sedes, querulisque orbata colonis  
Arva, citus fugerem, Vestgothicosque sinus,  
Sisterer Upsalicis iterum novus ipse camenis,  
Mæonii fierem pars ego parva chori.  
Tunc comes en! irem tecum, cum pulpita scandes,  
Tunc foret in plausus officiosa manus.  
Cum sanctum reseras adytum, sacrasque tabellas,  
Concio lætatur, quilibet aure favet.  
Ingenii dulces cum pandat lingua recessus,  
Culmina Parnassi, te penetrasse docet.  
Fabula fieta Jovem est cerebro peperisse Minervam,  
Tu paris e sacris Pallade majus opus.  
Sunt nuper Gothia spatiosi membra gigantis  
Avecta, ast cerebro, ast ingenioque carent.

Fertilis hæc tellus alium nunc mittit alumnum,  
Viribus ingenii hic, corporis ille, valet.  
Upsalides felix adeas novus advena Musas,  
Auguror, ingenio quod faveantque tuo,  
Te quia non præsens liceat, comitabor at absens,  
Ac animo media sistar in urbe comes.

Brunsbo d. 7 Martii  
1710.

EMAN. SWEDBERG.

---

VII.

*Epigramma in CASAUBONUM.*

*Ex litteris SWEDENBORGH ad ERICUM BENZELIUM Fil.*

*Londini a. 1710 Mense Octobri scriptis:*

**I**N æde Vestmynsterianâ cum monumenta Regia lustrarem, contigit mihi etiam CASAUBONI tumulum videre, ubi tanto literati hujus herois amore sum raptus, ut oscula tumulo ipsius darem, et hoc insuper carmen, sub marmore, manibus ipsius dicarem

Marmore cur ornas tumulum, cur carmine et auro:

Cum tamen Hæc pereunt, Tuque superstes eris.

At puto sponte sua celebrant Te marmor et aurum;

Oscula qvod marmor prætereuntis amet.

Vel hoc modo

Urna Tuos cineres, animum sed Numen et Astra,

Scripta Tuum ingenium, Nomen at orbis habet;

Has licet in partes Te mors distraxerit, ipse

Attamen in nostro pectore totus eris.

---

VIII.

Ad

**SOPHIAM ELISABET BRENNERIAM,**

Unicam ætatis nostræ Camœnam, cum carmina sua  
de novo caneret.

**Q**Vas coluit Latium quondam vel Achaja Camœnas.  
Ex vatum cerebro quælibet orta fuit.  
Quæ vero in Boreo colitur jam Pieris orbe,  
Illa est ex cerebro non nisi nata suo.  
Musa suum nomen debet vitamque Poëtis,  
Hæc sibi se debet carminibusque suis.  
Se quoque BRENNERUS SOPHLÆ, Sophiæque Camœna:  
Sic Musæ est Phœnix, sic sibi, sieque Viro.  
Cum eitharam tangit, sic jungit carmina nervis.  
Ut potior fuerit ficta Camœna negem.  
Ut superat lumen tenebras, vel corpus ut umbram:  
Sic Clarias superas ELISABETHA Deas.  
Te tantam, lauro Sviones hederàque coronent:  
Prima Eis Doctarum ac ultima forsitan eris.  
Si modo Te tulerint Naso vel Cantor Homerus,  
Pro totidem Musis, unica Musa fores.

Auguror ipsa sequens sic Te venerabitur ætas,  
Ut Te pro musâ semideaque colat.  
Nam fugiet Manes, ignes, cineresque supremos;  
Nesciet & mortem pars Tua magna suam.  
Hanc Tibi vaticinor lethen, ignosce putabit  
Postera Te SOPHIAN turba fuisse Deam.  
Hinc Te non æri mandes memorique cupresso;  
Nec nomen Cedro marmoribusque Tuum:  
Nam Tuum in ulterius nomen se porriget ævum,  
Marmora cum pereunt Diva superstes eris.

Londini 1710. Mense  
Octob.

Ab

EMAN. SWEDBERG.

---

IX.

*Cantus Sapphicu*s

in

Charissimi Parentis,

Doct. JESPERI SWEDBERGII,

Episcopi Scarensis

reverendissimi

*Diem Natalem.*

d. xxix Augusti, Ann: 1716.

ætatis 63.

sive

*Anni Climacterici Magni.*

---

Scaris, typis Kiellbergianis.

**S**Urge nunc Sappho, cape mane multo  
 Barbiton dextris, citharamque lævis:  
 Dum cubat stratis Genitor, qvaterna  
 Carmina plectas.

Num sub Auroram vigilet, relustra,  
 (Fidus Auroræ solet esse Custos,)  
 Tunc Eum circum canor, atque festa  
 Vota susurrent.

Lux adest festis celebranda votis,  
 Digna ter centum Clariūm canore,  
 Atque Sapphonum, fuerintve mille,  
 Ore lyraque.

Nos modo binis modulisve ternis  
 Tot lyris dignam celebremus horam:  
 Nam pusillum tam Pietas amat qvam  
 Gaudia carmen.

Nam, Pater! septem novies recursus  
 Videras cœli; toties & horam,  
 Qvæ Tuæ qvondam fueratque Nostræ  
 Lucis origo.

Pallui o qvam! cum veniebat annus:  
 Ille vivendi solet esse meta  
 Pluribus, charisque Patrum Senumque  
 Terminus ævis.

Lætus ast Ejus video canoque  
 Exitum, lætus superesse fatis,  
 Et nefasti Te, Genitor, periclis  
 Gratulor ævi.

Centies posthâc voveo recurrat  
 Ille: sed forsan nimis est qvod opto;  
 Si nimis, septem novies at optem  
 Usque recursus.

Scilicet, rursus videas ut ævum  
 Hoc: ut in Te se geminet senecta,  
 Rideatque in bis geminis senectis  
 Pœne juventa.

Sed licet retro Tua sit juventus;  
 Sit tamen vivax senium, usque menses  
 Dum qvot Augustos, numerare possis  
 Totque nepotes,

Vovet  
 EMAN. SWEDBERG.

## X.

*Postscriptum ad »Miscellanea Observata» ERICO BENZELIO Fil. a SWEDENBORGIO missa, dat. Leodii die 12/23 Decemb. 1721.*

P. S. Uti Holland äro giorda stora illuminationer af Ryska ministrarna för freden skull, och war jag uti Hag tå Printz Kurakin lät springa sina raqveter och rinna sitt win, hwar inunder stodo thessa verser:

Marte triumpharunt aqvilæ, jam Pace triumphant,  
Qvo Mars ante stetit Pax sedet alma loco.  
Bis denis gemuit Septentrio turbidus annis,  
Ast lætam retulit Pacis oliva diem.  
Sangvinis iverunt, jam flumina nectaris ibunt,  
Marte Catenato Bacchus ad arma venit.

Men om tillåteligit har warit kunde the wel blifwit omstöpta i sådana:

Morte\* triumpharunt aqvilæ, sic Pace triumphant;  
Qvo Mars\* ante stetit, Czar sedet ipse loco;  
Et denis gemuit Septentrio Russicus annis,  
Ast lætam retulit Pacis oliva diem.  
Sangvinis iverunt, jam flumina nectaris ibunt,  
Marte\* Catenato Bacchus\*\* ad arma venit.

\* Caroli

\* Carolus

\* Carolo  
\*\* Muscovitum deus

XI.

AD  
SACRÆ REGLÆ MAJESTATIS  
SUMMÆ FIDEI VIRUM,  
REGNI SVECIÆ SENATOREM,  
CELSISSIMUM COMITEM,  
COMITEM  
DE  
WELLINK,  
*MUSARUM PATRONUM.*

---

NAUPOTAMI vulgo *Schiffbeck* bey Hamburg,  
Typis HERMANNI HEINRICI HOLII.

M DCC XXII.

## F A B U L A.

**F**Abula narrat, Musam Uranien perdite amavisse Apollinem, & ideo exosam fuisse vitam Virgineam & Juventam, qvam perpetuo haberet: & qvia Apollo non esset in cœlis, se multis decoramentis ornavisse, & sic ex cœlo descendisse: Utqve inveniret Illum, ivisse primum in Sveciam (Qvæ sub Viraginis nomine venit), qvæ mœsta staret, qvam cum frustra interrogavisset de Apolline suo, ad Aulam Sveciæ tetendisse; sed cum nec ibi inveniretur, ad Curiam sive senatum; sed cum nec ibi suus Apollo reperiretur, in varia loca Europæ; & tandem ad Brunswicam, ubi cum geminos Fratres Castora & Pollucem spectaret, subito vidisse juxta Illos Apollinem suum; ad qvem cum accessisset aperuisse statim suum amorem, & oravisse, si nollet redamare, ut potius auferret de se juventam, sive ut se in Virum transmutaret, qvod etiam factum est. Unde Uranien (per qvam se partim intelligit poeta) factam esse famulum Apollinis, ejusqve adventum ivisse nuntiatum Sveciæ.

F A B U L A  
DE  
AMORE ET METAMORPHOSI URANIES  
IN VIRUM  
ET IN FAMULUM APOLLINIS.

U Na\* fuit Musas inter, sublimis in astris  
Quæ sedet, & clarum nomen ab axe trahit:  
Illa sui Phœbi violento exarsit amore;  
Magnus in ore suo nil nisi Phœbus erat.  
Qvid mihi, dicebat, juvat astris clarus Olympus  
Stelliferique ignes, cum meus ignis abest:  
Qvid se perpetuo renovans juvat illa juventa,  
Cum non Consortem non habeamque torum:  
Gaudia sint aliis, mihi sunt hæc tædia vitæ,  
Felix si possim, Daphnis ut ipsa, mori.  
Sed quid sollicitor? totus fere novit Olympus,  
Qvod Deus hic multas deperiisset amans.  
Musa licet dicar, jubearque a Pallade, casta  
Et sine fine, eheu! Virginitate frui,  
Usque tamen tentare licet, non durus Apollo  
Dicitur, est Musis delitiosus amor.

\* Musa Uranie, sub qua partim se intelligit poeta.

Protinus astrifero se vult demittere Cœlo,  
     Qvæsitura suum, qvò sit in orbe, Deum.  
 Seqve levi tunicâ veloqve recinxit, & ipsas  
     Pectine nodavit dispositqve comas:  
 Insuper & qvendam desumxit ab Iride fucum,  
     Qvo tinxit niveas officiosa genas.  
 Sideraqve in tunicis dispersa hinc inde locavit;  
     De Te qvi fulges, multa, Trigone! tulit.  
 De Te qvæ renites tot stellis, Virgo! venustas  
     Et bene fulgentes sumsit amicta faces,  
 Qvas circum limbos posuit; nam pulchra videri  
     Et voluit, credo, qvod qvoqve visa fuit.  
 Sic ornata polo, nitido descendit Olympo  
     Et gelidum velox tendit ad Arcton iter.  
 Accelerat cursum gelidas ferturqve per auras;  
     In tunicis positas vibrat at aura faces.  
 Tendit & ad Svionas; putat hic qvod Apollo lateret,  
     Frigida qvodqve suas conderet Ursa faces.  
 Utqve venit, Nympham\* spectat, qvæ Palladis instar  
     Corpore sublimis, jam ore renixa stetit,  
 Mente sua volvens vel se vel fata suorum;  
     Mœstus at indignans Ei qvasi vultus erat,  
 Immotum pandumqve tenens in pectore lumen;  
     Visa suis paulum est lapsa fuisse genis:  
 Nulla fuit rutilans & acuta in casside crista,  
     In medio clypei nullaqve Gorgo fuit:

\* Sveciam, sub viraginis nomine.

Et circum circa non Palladis instar amicta,  
 Nuda fuit dextro ceu spoliata genu?  
 Musa venit propius, spectat, vultusqve tuetur,  
 Et sua magnanimis qvod sit amica stupet:  
 Svecia erat; fuerat qvæ olim tot origo Deorum,  
 Atqve triumphantis Martis amœnus amor;  
 O mea magna Soror! dixit, qvid mœsta revoluis?  
 Dic mihi, si placeat, qveis sit Apollo locis?  
 Una novem Musas inter numeror; meus ignis  
 Est Phœbus, mihi dic, qvæ colit Ille loca?  
 Suecia nil retulit, tacito sed murmure secum  
 Dixit, in his vellem, o! esset Apollo locis?  
 Ora tamen solvit post multa silentia, dicens,  
 Qvam vellem ut nostris esset Apollo locis?  
 Et tacuit sensitqve: sed indignata Camena  
 Hinc retulit tanqvam fulmine tacta pedem:  
 Adqve Arcem & celebrem tantis Heroibus Aulam  
 Tendit, ibi certo qvod sit Apollo putans.  
 Limina cum pedibus tangit, nova limina, mirum!  
 Atqve novum Sceptrum vidit, eburqve novum:  
 Ancipites vultus, tacitos mistosqve susurrus  
 Audiit, & gravibus murmura mista sonis.  
 Omnia fulgebant Auro; sed nullus Apollo  
 Hæcce novâ Nymphæ visus in arce fuit.  
 Unus & alter erat, qui obliquo lumine spectans  
 Parnassin, statim pulchra qvod esset, amat.

Sed fugit hinc Virgo dicitqve, haec Curia forsan,  
     Prout olim, Phœbum Numen habetqve meum.  
 Illuc fleetit iter, mediōqve hue inspicit ore,  
     Janua fortuito semiaperta stetit:  
 En! videt hic Proceres circum circumqve sedentes;  
     Horum oculis qvemvis ordine lustrat avens.  
 Spectat Apollineus tegeret qvod tempora ramus  
     Magnatum, ast foliis pallida laurus erat.  
 Nympha dolet plangitqve sinum, clamasset & alte  
     Pœne, inqve his qvod non esset Apollo locis;  
 Qvid faciet, retrahit vultum, mandatur abire  
     Musa, & confessim janua clausa fuit.  
 Hinc vaga per terras fertur; jam tendit ad austrum,  
     Jam qvoqve ad ortivos solis euntis Eqvos;  
 Nec procul hinc gentem vidi cognomine Moscam,  
     Qvæ nova qvæqve fuit non sibi visa prius.  
 Cujus & in medio visa est nova turba Deorum,  
     Mars novus ore tumens & nova Pallas erat;  
 Atqve novus gelidæ surgens e Balthidos undis  
     Neptunus, Boreis concomitatus aqvis;  
 Quem circum Nereïs duxit numerosa chorëas,  
     Et Nais qvassavit terqve qvaterqve pedes.  
 Turbaqve mista diis magnos imitata triumphos  
     Est, qvales qvondam, Cæsar Jule! Tuos.  
 Sed qvia nescivit novus an genuinus Apollo  
     Esset in his populis, hinc Heliconis abit.

Itqve per ambages, seqviturqve volumina Rheni,  
 Qvoqve suas sinuat discolor Albis aqvas;  
 Error at est vanus, frustra est qvæsitus Apollo;  
 Qvo qværerit magis, hinc ardet amore magis.  
 Teutonicas & adit Nympha hæc Erratica gentes;  
 Casu & Brunswicam, nocte fluente, venit;  
 Mane toro surgit, medium partemqve fenestræ  
 Vix aperit, geminos dum videt Illa Duces:  
 Castor\* erat Polluxqve\*, sedet sublimis uterqve  
 Frater\* in auratis solis ad instar Eqvis\*\*;  
 Celsaqve Majorum Vestigia\*\* pressit uterqve;  
 Nomine & Ingenio clarus uterqve fuit.  
 Non procul a frænis stat Vir Venerabilis† unus,  
 Sublimis micuit Cujus ab ore vigor.  
 Inqve Illo multum figit sua lumina Nymphæ,  
 Nescia qvis sit, num forsitan Apollo suus.  
 Cum loquitur, sublime loqui miratur, in ore  
 Vera velut Pallas vel & Apollo fuit.  
 Cum vellet svadere, oculis micat ignis, & ipsa  
 Prodire ex vultu pæne juventa cupit.  
 De Proavis Fratrum, Genero, clarisqve Nepotum  
 Fatis, de Imperiis multa loqvela fuit.  
 Ut videt Hunc Parnassis amans, rubor occupat ora,  
 Plurimaqve in toto Corpore Vena micat;

\* Duces Brunswicenses. \*\* Insigne ducum.

† Apollo poetæ sive Comes de Wellinck.

En meus exclamat tantum qvæsitus in orbe  
 Phœbus adest; utinam sit qvoqve noster amor!  
 Dumqve stupet, tunicâ stellisqve venusta videri  
     Dum cupid, en penitus sideris orba fuit;  
 Plane ceu Phœbus, dum mane resurgit in axem  
     Extinguit stellas Cœlicolūmqve focos,  
 Sic qvoqve cum Nymphæ clarus spectatus Apollo  
     Est, decor Ei periit sidereusqve nitor:  
 Sed ruit usqve foràs, omnisqve oblita decori  
     Et vult ad Phœbi flexilis ire genu;  
 Qvid deceat faciatqve sui obliviscitur, ardor  
     Tantus erat, vocem præcipitabat Amor;  
 Atqve O! clamabat, tantum qvæsite per orbem  
     Phœbe! mihi dicas, si meus esse velis.  
 Svasit iter violentus amor, hinc lapsa per auras  
     Ad Temet volui non nisi ferre gradum:  
 Si mihi, Phœbe! neges, cum sim Parnassis, amorem.  
     Qvid mihi amaturæ longa juventa juvat:  
 Da potius moriar, juveniqve extinguar in ævo.  
     Vel da non juvenis simne puella magis.  
 Ridet ad hæc Phœbus & dicit, habeto qvod optas:  
     Illico mutatus prodit ab ore sonus,  
 Voxqve ei fit grandis pueriqve imitata loqvelam:  
     Longaqve qvæ fuerat fit brevis ipsa Coma:  
 Asperiorqve parum fit vultus; uterqve mamillæ  
     In pectus retrahit se recipitqve tumor:

Et coit inferior pars corporis; itqve stupetqve  
Cum se alia ex verso sentit habere viro:  
Fitqve puer juvenis, nee qvid de virgine restat,  
Qvam. qvod amavisset, jam veneretur amans  
Fitqve sui Phœbi famulus: Tibi Svecia Virgo!  
It narraturus, nunc qvod Apollo venit.

Apollinis sui

humillimus famulus

Brunswik. d. 27. April.  
1722.

E. S.

XII.

FESTIVITAS

ad diem in fastis solennem FREderici  
Svec: Goth. et Wand. R. Augustissimi  
Qvi celebraretur ludis et choreis ad fontem Medewisensem  
d. [18 Jul.] 1722.

**F**ons sacer est Medwi, non fallor, sacrior illo est,  
Ad qvem Pierides festa qvotannis agunt:  
Utraqve Majestas, Svionum Qvas suspicit orbis,  
Hic præsens Phoebi et Palladis instar adest.  
Utraqve jam spectat, qvantis celebretur ad undam  
Delitiis sacram festus Utrique dies.  
Spectabas, ULRICA! Tuum, locus hic fuit idem,  
Jamqve diem spectas, Rex FREDERICE! Tuum.  
Include Rex! vivas, vivas Regina! saluber  
Fons præsens votis annuit ipse meis.  
Vaticinor votis aliquid superaddit, at illud  
Heic reticent Musæ, nam modo fata sciunt.  
Fons sacer est Medwi, non fallor, sacrior illo est,  
Ad qvem Pierides festa qvotannis agunt.

EM. Sw.

### XIII.

*Carmen in Typographiae solemne seculare tertium celebratum  
Lipsiae A. C. MDCCXL.*

A Rtis, quae format non ore, sed aere loquelas,  
Dum laudes rursus Lipsia docta colit:  
Heic laudes celebrem simul inuentoris, at illas  
Tot nequeo numeris, quot meruisse scio.  
Quis fuerit? quaeras; non Gallus, Belga nec Anglus,  
Testibus at liceat credere, Teuto fuit.  
SCHAEFFERVM docuit FAVSTVS, sed primus vtrumque  
GVTTENBERG, hujus munere praela vigent.  
Nascitur ex riuis vnde est fons Palladis, exque  
Praelis et numero, fons quod abinde fluat.

Emanuel Swedenborg,  
Adssessor Collegii Metallici regni Suecici.

---



XIV.

LUDUS HELICONIUS,

Sive

CARMINA MISCELLANEA,

qvæ

variis in locis cecinit

*EMAN. SWEDBERG.*

---

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.



FESTIVUS APPLAUSUS  
In Victoriam  
qvam  
Celsissimus Comes  
**M A G N U S   S T E N B O C K ,**

de Danis ad Helsingburgum 1710. Mart. reportavit.

C<sup>o</sup>nticeant strepitus & bella parumper & arma,  
Succedant plausus, jubila, vota, lyræ.  
Lætitiæ resonet, feriat qvi sidera, clamor,  
Ferveat ut sonitu qvilibet inde locus:  
Heic plaudat Phœbus, plaudant heic ore Camenæ,  
Ac iterum faciles in sua plectra volent.  
Pieris ipsa tamen tacito stet tacta pudore,  
Grandia qvod parvo sint modulanda sono.  
Qvisqvis & Hesperio & Eoo vivit in Orbe  
In Svionum plausus officiosus eat:  
Exsiliant septem confusim sede Triones,  
Lætius irradient circumeantqve polum.  
Sancierat Superum qvondam Regina Tonansqve  
Tingeret Oceano ne ursa Borea caput;  
Tempore tam fausto si delituisset in undis  
Protenus hinc totam se exseruisse putem.

Subviridi Scani velent sua tempora fronde,  
     In variis statuant celsa trophæa locis:  
 Nam rursus Boreos juverunt fata DEUSqve,  
     Succubuitqve ferox, Marte favente, Danus:  
 Cimbria transmisit qvas insidiosa catervas,  
     Has subito stravit miles ad arma novus.  
 Sit licet Eois CAROLUS diversus in oris,  
     Attamen infestos terruit inde Danos:  
 Ipsius ut rumor circum fuit agmina sparsus,  
     Protenus innumeri militis instar erat:  
 Auspicio CAROLUS, ductu STENBOCKIUS hostem  
     Dispusit, Hic dextrâ, nominis Ille metu.  
 Et Tu, STENBOCKI! CAROLIS spectate duobus.  
     Gloria Tu Patriæ es delitiosa Tuæ;  
 Sume Triumphalem circum Tua tempora laurum,  
     Si par sit meritis illa corona Tuis:  
 Scande novos currus, due Victor Magne! triumphum,  
     Spargentur palmæ, carmina Musa canet.  
 Si Te, Celse Comes! talem Gens prisca tulisset,  
     Conspicuum Cœlo Te posuisse reor:  
 At radiat nitidum stellanti sidus in axe,  
     Qvod Tua, STENBOCKI! nomina celsa refert:  
 Nomina qvæ tulerat sidus per sæcula servet,  
     Et junctim servet, nomina, Magne! Tua:  
 In Te mens cognata polo, virtusqve Parentum  
     Eminet, est Pater in Te, est redivivus Avus.

Vosqve duces magni Sviae fulera fuitis,  
 Nomina tam parvis non referenda modis;  
 Nomina si vultis memori committere Cedro  
     Qvam claris titulis illa superba foret.  
 Aurea donetur vobis non qverna Corona,  
     Qvi vestrum meruit, sidereumqve ferat:  
 Consiliis vestris, animis, virtutibus hostis  
     Stratus, nunc Aqvilas arma virosqve gemit.  
 Liqverat Is nuper Danicas numerosus arenas,  
     Sed rediens paucis concomitatus erat:  
 Agmina ceu comites fuerant male fida seqvuti  
     Et Timor & Pallor cumqve pudore fuga:  
 Intonuit dextrum, subduxit nubila Phœbus,  
     Exitium dixit causa, deditqve DEUS.  
 Causa pigenda subest, Regum qvæ dedecet ostrum,  
     Qvam merito causam rideat Ipse Danus:  
 A CAROLO cautum est, ne crescat spiritus Hosti,  
     En Crevit, vere vaticinatus erat.  
 In CAROLI vetuit laudes exire Poëtas,  
     Cum tamen est major laudibus Ipse Suis:  
 Scilicet hoc propter sudabit sangvine litus,  
     Hoc propter flamas, classica, vela paras.  
 Se decoret miles lauru, decenterqve Poëtæ,  
     De Cæso figant bina trophæa Dano:  
 Castalis in CAROLI laudes nunc exeat omnis,  
     In laudes venâ liberiore fluat.

Præcipe jam Cimber magnos in mente triumphos,  
     Supplicium dederas, vaticinorqve dabis.  
 Qvamlibet infesti jungant sua signa Triones,  
     Agmina consocient & numerosa Duces,  
 At DEUS hanc CAROLO sub Rege tuebitur Arcton,  
     Vel crepitent armis Tres Triadumqve Trias.  
 Mars aderit Boreus Lunatis multus in armis,  
     Ac iterum rupti fœderis ulti or erit.  
 Luna polo novies latuit, noviesqve recrevit  
     Qvo Boreum Solem Turcica Luna tulit.  
 Dimidiata prius, Cæsar! Tua Luna refulsit,  
     Nunc at adoptivo lumine plena micat.  
 Dum Sol noster abest, ne nos errebus in umbris  
     Caverat, &<sup>1</sup> Patriæ sidera multa dedit;  
 Vos, Celsi Comites! dederat, vos estis & astra,  
     Qvi Arctoas regitis Sole morante plagas:  
 En ovat auspiciis totus septentrio vestris,  
     Auspiciis vestris Cimbria mœsta dolet;  
 Servastis Patriam, Cives! date laurea sertas,  
     Ni sint pro meritis laurea sertas parum;  
 Conspicitur Cœlo septem distincta Corona  
     Stellis, hæc Vos, hæc nomina Vestra cupit.  
 CAROLE! spes Sviionum! Te Musæ & Seeptra reposcunt,  
     Hâc resonant aræ, pulpita, templa prece:  
 Te Soror ac Avia en revocant, Patriæqve Penates,  
     Qvam sapiat triplex, experiaris, amor.

---

<sup>1</sup> Ed. Scarensis: hinc.

Plus satis es, CAROLE! Garamanti notus & Indo,  
 Vix tamen es Patriæ notus ab Ore Tuæ,  
 En Tibi Germanus famulas exporrigit ulnas,  
 Esse volunt Comites Cæsar uterqve Tui.  
 Oceanus cupiet totum Tibi sternere pontum,  
 Inqve Tuos reditus officiosus erit;  
 Nubila disjicit Phœbus, sua lumina didet.  
 Gavisus radiis posse favere suis:  
 Sic Musæ recinent, ah venit noster Apollo!  
 Ah voveo veniat, vester Apollo, brevi:  
 CAROLE qvi mensis Patrio Te sistet in Orbe,  
 Sit Tuus in fastis perpetuoqve sacer.

---

AD  
 VIRUM ILLUSTREM  
 IN  
**ADVENTUM UXORIS EJUS,**  
 comitante Illam novâ prole,  
 Ultrajectum ad Rhenum 1713.

**J**Am celebrem solus circum velut otior urbem,  
 Nomine qvam Leidam Battava turba vocat.  
 Fossaqve transcurrit muros, circumambulo fossam,  
 In varias formas qvæ sinuosa fluit;

Lymphaqve me secum spatiantem dicit in orbem,  
 Nam comes in ripa qvo meat Illa seqvor:  
 Flectit & in Boream jam me, jam flectit in austrum,  
 Circuituqve meam ludit ubiqve viam.  
 Est qvasi qvid Numen qvod jam dum vivit in undis,  
 Assiduo nostrum qvod comitetur iter:  
 Instar & est qvædam latitet sub flumine Nayas,  
 Qvæ circum lymphas dicit agitqve suas,  
 Et qvia sim solus qvæ mecum lusilis erret,  
 Adqve meum jungat se societqve latus.  
 Hic Ego dum spatior lævis sine Carmine chartam,  
 Qvæ tamen est numeris hisce dicata, gerens;  
 Qvæ velut à Zephyro leviter sufflante tremiscit,  
 Et digitos inter ludit aperta meos;  
 Me qvasi permulcens, à me qvid Carminis orat,  
 Atqve in se nostros optat habere jocos.  
 Laetus ut hic spatior solâ comitatus ab undâ,  
 Dispulit en curas mens operosa suas:  
 Tristia diffugiunt, subit & cum Carmine cantus,  
 Est mentis vacuæ nam modulamen opus.  
 Venit amor eitharæ subito venityqe Camenæ,  
 Protenus & voluit plectra movere manus:  
 O mihi, clamabam, properanter adeste Camenæ,  
 Et precor in nostrum sponte venite sinum:  
 In me dum vocito cultas vocitoqve Camenas,  
 Me super en volucris penna streporqve sonat:

Illico suspicio volat en per inane columba,  
 Inqve auris alas concutit alta suas;  
 Sic properat, traheret niveo qvasi corpore currum,  
 Qvo pulchre vehitur delitiosa Venus.  
 Alitis in toto fulgebat corpore candor,  
 Candidus ipse sinus, candida penna fuit:  
 Dat color indicium qvod sit sine conjugē Turtur,  
 Qvæ sine conjugii vivere sorte neqvit.  
 Cum magis adproperat, video qvid in ore gerebat,  
 Ramulus in nidum credo ferendus erat;  
 Fœtus erat qvidam qvem carpsit ab arbore Palmæ,  
 In qvo mature qvid viridantis erat.  
 Non procul hinc Arbor patulæ surgebat Olivæ,  
 Cujus adhuc foliis frons inamieta fuit,  
 Sed dedit indicium qvod ver, qvod tempus adesset  
 Qvo fieri viridis rursus Oliva solet.  
 Huc sinuat cursum veniens cum fronde Columba,  
 Inqve Oleæ tandem stirpe resedit iners.  
 En magis, hâc dictâ stetit alter in arbore Turtur,  
 Hujus Amatricis credo Maritus erat:  
 Qvi varios motus & ovantia murmura fecit,  
 Ludere cum sociâ mox redeunte parans.  
 Vix fruor hôc visu, dum venit ab urbe Camena,  
 Qvæ modo de Leidis evocitata fuit.  
 Admotamqve sibi sic clam dicebat in aurem  
 Cur facis hic, vates! incomitatus iter.

O cape me Sociam; fac ne Tua gaudia rumpam,  
 Et fac in modulos Temet ut Ipsa juvem.  
 Anne heic vidisti, qvid nuper ab urbe volavit,  
 Seisne qvid in canæ Turturis ore fuit;  
 Ramus erat Palmæ, qvem duxit in ore Columba,  
 Porrexitqve Suo qvem speciosa Viro.  
 Nescis an auspicium, Tene omina tanta latebunt,  
 Nil an ob adventum vaticinaris avis:  
 Anne suam Sociam nuper, quasi Turtur amicam,  
 Ipse Tuus — — <sup>1</sup> & sua vota tulit.  
 Eine putes ludi vel ovantia murmura cessent,  
 Eine putes blandæ vocis abesse jocos.  
 Cetera num nescis, versato <sup>2</sup> per omnia mentem,  
 Num qvid qvæ nondum frondet Oliva velit;  
 Qvam volucer petiit, prior & qvâ constitit alter,  
 Qvâ Dea Pax habitat, qvam Dea Pallas amat.  
 Multa sub hôc volueris latitant arcana volatu,  
 Pandere qvæ Pallas, qvæ Cytherea vetat.  
 Dixit ut hoc Nymphæ risitqve, inopina tacebat,  
 Mutaqve dum stabat, mutus & Ipse steti.  
 Mentis inops aji dic qvid modulabor Amica,  
 Nil scio qvid dicam si mea Nympha siles:  
 O stupor Hæc retulit, simne Ipsa in Carmine tota,  
 Ipsa Tuum tantum num modulamen ero.  
 Dic precor Eis geminum sed in uno Carmine votum,  
 Ille Suam sociam rettulit, Illa suum.

<sup>1</sup> Ed. Scarensis: Palmqvist.

<sup>2</sup> Ed. Scarensis: versate.

Dixit ut hoc jussum, rursusqve repente tacebat,  
 Seqve simul noster sttit in ore modus;  
 At mecum indignans longo post murmure dixi,  
     Dicere cur geminum jusserat Illa Vale;  
 Cur non innumerum, cur non plus mille jubebat,  
     In vota ô nimium parca Camena fuit:  
 Usqve sed hoc geminum votum, licet ipsa recuset,  
     Ingeminare Tibi bis iterumqve velim.  
 Ipsa Tui consors societ tot gaudia Tecum:  
     Qvot seio Te — — —<sup>1</sup> dinumerasse notas:  
 Si Tibi sint lucis, si tempora noctis agenda,  
     Vel si Te lumen Teqve vel umbra tegat;  
 Vos geminos inter tot læta jocentur, utroqve  
     Qvot numerat minimos Phœbus in axe gradus.  
 En Tibi qvid referam, dum festa hæc Carmina pando,  
     Dum circum ripas incomitatus eo;  
 Dumqve gero lævis recipit qvæ Carmina chartam,  
     Dum super hæc primam pansa tenetur aqvam;  
 Illa mihi primis reflexa videtur in undis,  
     Pendet ut in mediis scripta fuisse aqvæ:  
 Et Tibi qvod scribo scriptumqve videtur in unda,  
     Qvod voveo inqve ipsa pœne vovetur aqvâ:  
 Votaqve qvæ gemino, rursus geminantur ab unda,  
     Opto qvod, in summis Najas & optat aqvæ;  
 Cum Tibi per ripas lætorum millia vovi,  
     Bis Tibi lætorum millia lympha vovet.

---

<sup>1</sup> Ed. Scarr.: Palmqvist!

**E**N Tibi transmitto qvam, Vir Generose! Camenam,  
 Sub Jove, sub cœlis hanc modulatus eram.  
 Cumqve Ego fossilem<sup>1</sup> modulator obambulo lympham,  
     Sponte suâ pandit mens operosa modos:  
 Dumqve qvid invenio numeros qvod currit in aptos,  
     Mox in Gramineis membra repono locis,  
 Qveis superinjicio chartam, ni terra sit uda,  
     Carmen & inscribo qvod meditatus eram;  
 Sæpius ad truncum mea membra manumqve reclino,  
     Corpore cum nolim tangere creber humum,  
 Atqve meam teneo figoqve in cortice chartam,  
     Sic superinscribens qvos Tibi mitto jocos:  
 Hicce mei afflantu recipit Tua nomina stipes,  
     Ille Tui leviter vota valeqve capit.  
 Sis memor hinc Leidam qvævis qvæ<sup>2</sup> circuit arbor,  
     In Se qvid memoris sentit habere Tui;  
 Si foret heic laurus, darem Tua nomina lauro;  
     Si cedrus in cedris scriptus ubiqve fores.

---

<sup>1</sup> Ed. Scar.: muralem.

<sup>2</sup> Sic ed. Scar.; ed. Gryphiswald.: qvivis qvi.

## LUSUS EXTEMPORALIS

Ad Amicum qvendam.

Oxoniæ 1712.

EN jaceo multà jam circumfusus ab herbâ,  
Et fere sufflavis oculor Ipse rosis:  
Sicqve meos artus gramen circumtegit, herba  
Ut circumerrans sit modo visa mihi:  
Hæc me porrectum numeroso corpore stipat,  
Atqve mihi tenebris frigora mista facit:  
Arcet & à nostro Phœbeum corpore lumen,  
Illius & radiis tangar ut Ipse vetat.  
At qvæ se motat mea dextra canitqve movendo,  
Undiqve se Phœbi lumine plena movet.  
Sive videre velit, modulor qvæ Carmina, Phœbus,  
In numeros properam sive juvare manum;  
Sive meam Musam quasi priscus amator adire,  
Ad chartam & digitos nam mea Diva jacet.  
En latus ad nostrum cum sic mea Musa jacebat,  
Et nos circumstans condidit herba duos:  
Illa meum tetigit blande bis terqve lacertum,  
Atqve meas mulsit delitiosa genas:  
Et sub blanditiis dixit, dic oro salutem  
A — — — multam, dieqve qvod opto, Tuo:

Adde, qvod Illius sic ducar amore Camena,  
 Illius ut potior qvod sit amore Tui:  
 Adjice qvod Phœbus, (nam sic mihi dixit in aurem,)  
 Illum Cultorem<sup>1</sup> nominet Ipse suum:  
 Temet & adnumeres nobis, tribus ut sit amicus,  
 Scilicet ut Phœbo, sit mihi, sitqve Tibi.  
 Nosqve tenet junctim qvia Tres hic cespes & herba,  
 Jungit &<sup>2</sup> hâc votum Ternus Amator humo.  
 Conticuit, virides cum lumina mitto per herbas,  
 Intueorqve meam sed modo mente Deam:  
 En citius dictu, mihi Nympha subibat, amicta  
 Qvæ viridi steterat, sis memor ipse, togâ;  
 Binaqve qvam tantum divisit utrinqve fenestra  
 Et plateæ in latum non spatiantis humus:  
 Cumqve animum vitis nostrum diffudit & uva,  
 Vesper & incepit cum tenebrare diem:  
 Qvæ nos transversis Bacchumqve videbat ocellis  
 Subjectas simulans cauta videre vias.  
 Atqve Comes noster cum se curvabat, & Ipsum  
 Vitiferum multo flexit honore DEUM;  
 Illa retrospexit, memini, paulumqve favebat,  
 Et genibus flexis officiosa fuit;  
 Demisitqve femur, qvod mos solet esse Puellæ,  
 Corpore demisso sit placitura putat:

---

<sup>1</sup> Ed. Scar.: Cultorum.

<sup>2</sup> Ed. Scar.: in.

Non secus ac gratum foret id nimiumqve venustum,  
 Corporis hanc partem sic sinuare Sui,  
 Hæc modo flexibilis nam Pars agilisqve Puellæ  
 Si sit qvod multis sit placitura putat:  
 Illa fuit viridi velut undiqve gramine cincta,  
 Floribus aut Majæ sicut amicta foret.  
 (En calatum cingunt, chartam Musamqve canentis  
 Melliflui flores, multaqve thymbra, mei,  
 Jamqve hanc succinerem modulis cum forte Puellam,  
 Accidit è thymbræ flore cadebat<sup>1</sup> apis;  
 Inqve ipsum Nymphæ nomen, quasi dulce qvid esset,  
 Deqve ipsis traheret mel velut Ille modis,  
 Nescio de Nympha num combibit Ille pusillum  
 Succum, sed numeros impedit usqve meos:  
 At fugit, en video qvod jam flavescat utrumqve  
     Ei femur, ad sua qvod tecta favosqve volet.)  
 Sed mox hæc intra se claustra Puella recepit  
     Et subiit facies qvæ sed anilis erat,  
 Cui demsit canos & multas<sup>2</sup> vespera rugas  
     Et juvenes fecit virgineasqve genas;  
 Hinc, memini, nostrum qvidam cum mobilis esse  
     Illius vellet flexibilisqve poples;  
 Qvod grandæva Illi toto cum corpore Mater  
     Bis pede bisqve comis officiosa foret;  
 Sponte suâ flexit sed se cum fronte capillus,  
     Qvippe ætas capiti pondus onusqve dedit:

<sup>1</sup> Ed. Scar.: capebat.

<sup>2</sup> Sic ed. Scar.; ed. Gryphisw.: multos.

Ipse sed opticui, nosti, mutusqve sedebam,  
 In facie dubiae qvid<sup>1</sup> gravitatis habens:  
 Inqve meum repsit cerebrum qvia Pieris, inde  
 In se etiam mentem fixerat Illa meam,  
 Atqve animo qvieqvid meditabar, ab ore vetabat<sup>2</sup>,  
 Iret ut in voces hoc sonitumqve, meo.  
 Musa suum lusit qvia sic risitqve Poëtam,  
 En pœnam, dixi, qvod sis iniqua, lues<sup>3</sup>;  
 Hinc magis Illius prius ut non tangor amore,  
 Cum solâ solus non magis ipse jocor;  
 Qvem docet, excipio raro jam Carmine cantum,  
 Vix qvoqve si jubeat multa rogatus ago.  
 Sed mihi surripuit non plus hoc temporis, una  
 De toto Phœbi qvam solet hora die.  
 Parte reor cœli jam dum qvoqve pergit<sup>4</sup> eâdem  
 Phœbus, vix ierat qvinqve decemqve gradus.  
 Qvamlibet is currit semper properatqve per axem  
 Sustulit undecimum vix tamen Ille pedem;  
 Vixqve unum Carmen jamdum confecit in axe,  
 Tot propere cecini cum tamen Ipse modos:  
 En prope sub plantis ludit resonatqve fluentum,  
 Pisciculosqve unus qui capit adstat aqvis:  
 Ultimus hic numerus cum clauderet Ipse priores,  
 Insidiis piscis captus & alter erat:

---

<sup>1</sup> *Ed. Scar.*: qvid qvid.

<sup>2</sup> *Ed. Scar.*: vetebat.

<sup>3</sup> *Ed. Scar.*: qvod sit iniqua lues.

<sup>4</sup> *Ed. Scar.*: perget.

Venit ut ex undis multum qvasi lusit in aurà,  
 Et saltus qvosdam fecit ibiqve modos;  
 Inqve auram sursum cum desiit Ille salire,  
 Desiit & plectrum Nympha movere meum.

---

FABULA  
 De  
 Perillæ & Nerei Amore.

**I**Nter Hyperboreas olim pulcherrima Nymphas  
 Telluris proles prima, Perilla fuit:  
 Sola fuit qvondam spatiataqve litore sola,  
 Nam fuit Ipsa Sibi delitiosa comes.  
 Pax erat Oceano siluitqve & ventus & æqvor,  
 Ac instar lævis<sup>1</sup> marmoris unda stetit:  
 Huc illuc agiles saliisse sub æqvore pisces  
 Visum est, & tremulos effigiasse sinus;  
 Sol & marmoreis paulum tremulabat ab undis,  
 Totus & in fundo concavus axis erat:  
 Qvæ steterant supra, montes sylvæqve domusqve  
 In medio veluti mersa fuere salo:

---

<sup>1</sup> Ed. Scarr.: lævi.

Cumqve suas volucer vibrabat in aëre pennas,  
 Umbra & sub ponto visa volantis erat:  
 Ipsaqve sub lymphis speciosa tuentis imago  
 Constitit, inverso cum pede juncta pedi:  
 Cum sua membra movet, sua membra movebat imago:  
 Riset, sub medio risit & umbra freto.  
 Sed simul huic latuit Nereus conterminus umbræ,  
 Inqve suis gelidis arsit Amator aqvis:  
 Os qvia Virgineum densis suspexit ab auris  
 Sole repercussum, pulchrius inde fuit.  
 Non secus ac aqveos Iris spectata per arcus,  
 Non secus ac Eos cum exit & intrat aqvas:  
 Hæret in obtutu subqve undis concipit ignem,  
 Inqve suo insidias æqvore tutus agit:  
 Et modo nunc udo centum sub pectore versat,  
 Et modo jam centum non probat Ille dolos.  
 Jam trifido voluit litus subvertere telo,  
 Ut suimet ulnis excipienda cadat.  
 Jam placet à toto secernere litore litus,  
 Ut sic amplexum sponte juvantis amet<sup>1</sup>;  
 Jam comes esse suis qvas Phœbus colligit undis,  
 Imber ut in Nympham tutus Amator eat.  
 Increpat Ipse tamen Se, nam non esse venustum  
 Dicit, pollicitis est capienda meis;  
 Protenus è summis canum caput extulit undis,  
 At sua canities fronde adoperta fuit:

---

<sup>1</sup> Ed. Scar.: amat.

Si tenerum placeat, dixit, Tibi nomen amantis,  
 En heic qvi præfert nomen amantis adest:  
 Divaqve si fieri calidisqve assvescere votis,  
 Te nauta & pontus Te qvoqve Nympha colet.  
 Si Tibi<sup>1</sup> divitiæ cordi si gemmea dextris  
 Sceptra, en has tantum possidet æqvor opes.  
 Si Tibi displiceam pro Te feret altera pontum,  
 Illa Tibi leges & Tibi jura dabit.  
 Nympha sed expavit totoqve expalluit ore,  
 Sic velut in gelidas lapsa fuisse aqvas:  
 Littora devovit, per densas concita sylvas  
 Erupit, timidæ & prætulit ora fugæ:  
 Non timor Ei sylvæ præruptaqve saxa fuere,  
 Ipse fuit Nereus, litus amorqve timor:  
 Hinc cupit in mediis totam se condere lustris;  
 Jamqve est nec tigris neve leæna timor.  
 Qvæ prius ad qvamvis mollemve<sup>2</sup> cohorruit auram,  
 Jam cupit ut toto Jupiter axe tonet:  
 Nam prope subseqvitur vario cum murmure Nereus,  
 Et sinuat gressus insidiasqve parat.  
 Jam fere currentis retinet vestigia Nymphæ,  
 Jam qvasi sub pedibus ludere visus erat.  
 Cursus erat rapidi veluti torrentis, & Ipsa  
 Vox erat Ei tanqvam grande sonantis aqvæ:  
 Nunc gemit & qveritur, tumido nunc ore minatur,  
 Jam vocem intendit, jam qvoqve frangit amans;

<sup>1</sup> Ed. Scar.: Sibi.

<sup>2</sup> Ed. Scar.: mollemque.

Cæcus & in scopulos, truncos salebrosaqve saxa  
     Irruit, ac artus vulnerat Ipse suos.  
 Nympha per objectos lacerat velamina ramos,  
     Sente secat<sup>1</sup> teneros, qvâ patuere, pedes.  
 Vix bene jam spirat, pectus qvasi clauditur auris,  
     Multus & è toto corpore sudor abit:  
 Colligit hunc Nereus, tepidis<sup>2</sup> immiscet & undis,  
     Charaqve de charo corpore gutta fuit:  
 Gutta sed invito, mirum, se miscuit undæ,  
     Dumqve undam tetigit, frigida facta fuit.  
 Rupis erat juxta propere qvam scandit anhela,  
     Qvæ foret æqvoreo non adeunda DEO:  
 Fessa licet rupem superat, timor addidit alas,  
     Nullaqve cum saxis lucta laborqve fuit.  
 Unda per erectum sic fertur in aëra plumbum,  
     Inqve altum multo flumine pressa salit.  
 Constitit alta jugo Laurus, Tua dicta, Minerva!  
     In qvâ Pyramidos forma decorqve fuit.  
 Huc volat & brevibus laurum sic implicat ulnis,  
     Prout hedera aut qvævis reptilis herba solet.  
 Hic sine voce stetit, demsit timor ipse loqvelam,  
     Spiritus & presso stipite pressus erat.  
 Qvod potuit tantum, timido modo murmurat ore,  
     Invocat & fessâ & supplice voce Deam:  
 Affer opem, dicit, Te amplector in arbore<sup>3</sup>, Diva!  
     Me in gremio lædi ne patiare Tuo:

<sup>1</sup> Ed. Scar.: secans.<sup>2</sup> Ed. Scar.: trepidis.<sup>3</sup> Sic ed. Scar.; ed. Gryphisw.; arbor.

Moxqve preces, lachrymas, plausus confudit in unum,  
 Oscula corticibus multa & amara dedit:  
 Annuit Ei Laurus, fuit ipsa sub arbore Diva,  
 Anxia pro castâ virginē virgo fuit:  
 Exit & à calido Nympham Dea cortice vellit,  
 Et subit in gremium qvo prius arbor erat.  
 Cum tremulum vidi, pallentia lusit in ora,  
 Lusit & in laceros Diva jocosa sinus.  
 Qvumqve jocis animum dederit faciemqve Puellæ,  
 Alloqvitur blandis seria mista sonis:  
 Nescis & ô nescis thalamos qvos effugis, inquit,  
 Sceptræ, DEUM ponti, divitiasqve fugis.  
 Siste, Perilla! gradus, agitur pars tertia mundi,  
 Sceptræ Junoni & regna secunda Jovi;  
 Quem fugis, è multis multæ petiere Puellæ,  
 Votaqve multarum sola Perilla fugis.  
 Cur mihi blandiris, cur me Tua brachia mulcent,  
 Es mea, crede mihi, sumqve, Perilla! Tua;  
 Inspice si possis pectus vel & inspice vultum,  
 Dic mihi num pluris Te Tua mater amet.  
 Affer opem, clamas, magnus Tibi Nereus instat,  
 Qvieqvid opis possim, me tribuente, feres:  
 Inspiceres utinam volueris tua tempora vitæ,  
 Sponte nec hunc peteres sollicitata torum:  
 Eqvoris in thalamo Nymphas post secla sedentes  
 Aspicies oculis invida sæpe Tuis.

Suplicat Illa tamen pulchra ore rubente Perilla,  
     Unus amor, dixit, Tu mihi Pallas! eris.  
 Oscula non ausit labris vel forte neqvivit  
     Nympha dare, Illa brevis celsaque Pallas erat:  
 Figit ubi potuit, gremio qvia Palladis hæsit,  
     Huic dat, in hoc condit svavia multa sinu.  
 His Dea mota fuit, parvæ mox cassida fronti  
     Applicat & teneris ægida qvanta toris:  
 Inde ferox refluit Nereus stimulatus ab irâ,  
     Inqve Suis semet condit amarus aqvis.  
 Nostra Tibi vilis qvamvis sit regia, dicit,  
     Et licet armisonans sit Tibi Pallas amor,  
 Te tamen ambobus claudam, mihi erede, lacertis,  
     Hoc in corde tenes plus qvia parte mei:  
 Dixerat, & propere nunc huc, nunc volvitur illue,  
     Jam ruit in gyrum, jam qvasi lentus abit:  
 Labitur in cuneum, subtensum format & arcum,  
     Inqve latus pergit, circuit atqve cavat.  
 Si referat verum vates, Tua terra, Perilla!  
     Effigiem magni pectoris inde tulit.  
 Ipse DEUS multo circum Te flumine currit,  
     Teqve suum veluti sangvine pectus alit:  
 Influit & refluit, terræqve in viscera dulcem  
     In venas instar mittit Amator aqvam.  
 Dat qvoqve, si credas, jamdum muleimina Nymphæ,  
     Atqve preces repetit num velit esse sua.

---

ULTIMORUM LAPONUM  
DESCRIPTIO.

Ultimus in terris recubat qvo circulus, ursa  
Qvo decies septem surgit in axe gradus,  
Et medio occasum tumulat qvo Phœbus in ortu,  
Hesperus ac oritur, Lucifer ipse cadit:  
Sæpius in Cœlo qvo Sol ruit altus, in uno  
Qvo vesper miscet seqve ubi mane loco.  
Hic videas Homines parvos & in ore rotundos,  
Et membris graciles, moribus esse feros:  
Eis rubet ad pectus vestis, sciteqve plicatur,  
Et rubeas ornat fibula multa plicas:  
Pars ea sed nuda est, qvâ cingunt pectora costæ,  
Est ibi dissuto vestis aperta sinu:  
Sæpe sub hoc Boreas male cum frigesceret axe,  
In tali referunt intepuisse sinu.  
Per saltus volitant, sylvasqve nivesqve fatigant,  
Atqve feri pellunt in sua lina feras:  
Sæpe solent longos<sup>1</sup> plantis subnectere contos<sup>1</sup>,  
Ac timidâ citius currere sæpe ferâ:

---

<sup>1</sup> *Edd. Gryphisw. et Sear.*: longas contas.

Ipse Patrem natus, Catulus velut ipse lyciscam  
 Inseqvitur, cursu non tamen ambo pari:  
 Ambo tamen pariter condunt sub pectore tela,  
 Sæpe Tuo, Lynx! at sæpius, Ursa! tuo;  
 Direptoqve feris circumdant tergore membra,  
 Fit toga, fit tegimen, qvod prius ursa fuit:  
 Sic plane induitur, modo pronus & ipse recumbat,  
 Cognatâ posset fallere pelle feras.

---

In Poëtriam qvandam,  
 cur Carmina Ejus placeant.

**D**ic mihi cur nervus, qvem tangit amœna puella,  
 Plenior ingenio delitiisqve sonet;  
 Cur qvodam inficiant sua Carmina nectare Nymphæ,  
 Cur vox è pulchro dulcior ore fluit:  
 Dicere qvicqvid amat, fluit id dicentis ab ore,  
 Contingitqve labris verbula qvæqve Suis;  
 Hinc amor in cantu est geminus, non Carmina tantum,  
 Ob labra sed vocem dulce canentis amant.

In eandem, ut mihi rescribat.

**N**on adamo tantum digitos lingvamqve disertæ,  
 Labraqve, qveis toties oscula ferre velim:  
 Sed qvodeunqve moves qvando Tua Carmina condis,  
 Nempe Tuum totum mobile corpus amo:  
 Fortunatus ero, parvam si forte Camenam,  
 Literulam aut noster sit pariturus Amor.

---

Delia in nive ambulans.

**S**ola ut per flavos spatiata est Delia campos,  
 Alatus subito desuper imber adest:  
 Adstitit è summa delapsus Jupiter arce,  
 Ut DEUS argenti luderet imbre Deam:  
 Qva patuere sinus, se nix heic indidit audax,  
 Se velut in nidis multa recondit avis:  
 Mœsta sed in lachrymam semet guttamqve resolvit,  
 Victa qvod à gremio candidiore foret,  
 Membraqve dein fluxit tristis per lactea, demum  
 In tunicæ limbo gemmula facta stetit.

---

In Puellam dictam VICTORIA.

**L**UX Tibi natalis dederat Victoria nomen,  
 Multorum es voto nobilitata Ducum:  
 Arma licet capias<sup>1</sup> nusquam Victricia, Victrix  
 At qvod sis, dono, Nympha! Parentis habes.  
 Forma Tua est Victrix, hinc multa trophæa locabis;  
 Sed scio succumbes qvod quoqve Victa semel.

---

<sup>1</sup> Sic ed. Scar.; ed. Gryphisw.: capies.

---

In Parentis mei effigiem Aeneam qvæ non  
 liqvefacta est & evanuit in domus  
 Ejus incendio.<sup>1</sup>

**M**Ira Tibi referam, fuit hæc indemnus imago  
 Sub flamma, flammis cum periere Lares:  
 Es, Pater! ut Phœnix, Tua forma renascitur igne,  
 Vivaqve per flamas in sua fata redit.

---

<sup>1</sup> In editione quoque Scarensi hoc tetrastichon ultimum locum tenet;  
 praecedunt autem ibi duo epigrammata ejusdem argumenti.



*Haec sunt carmina primæ, Gryphiswaldensis, editionis **Ludi Heliconii**; illa autem quæ sequuntur ea sunt, quibus aucta fuit editio secunda, Scarensis.*

Ad  
Virum Celsissimum  
Carmen Epistolare.

**E**N Tibi qvid referam? liceatne referre jocosa?  
Ludere nam Tecum nostra Camena cupit.  
Quid decus est pulcræ qvid forma venusta Puellæ?  
Ni qvoqve sit cultis delitiosa jocis.  
Tempus adest, Phœbus cum multus in axe moratur,  
Serus in occiduum cum cadit ille mare.  
Cum propior geminis rutilus fert lampadas ursis,  
Nec procul a Boreâ dissidet altus humo.  
Tunc mea, qvam numerem minimas Heliconidas inter,  
Me prope sub myrto musa Borea fuit.  
Et mihi dic, Vates! ait, qvid agrestis in umbra,  
Inque suburbana, lente! recumbis humo?  
Quidve domi latitas, qvi jam peregrinus ab oris  
Nuper ad hæc Patris factus es arva redux?  
Surge, precor! rursusque migra properanter in urbem,  
Quæ Duce quæ populis ambitious tumet.  
Quæque Virûm Lauris, quæ Dîs quæ Princepe gaudet.  
Totque ubi sunt aulæ totque trophæa nitent.  
Quid juvat hoc ruris, quid nos jaceamus inertes?  
O quam nos nymphas urbs populosa decet!

Risit ad hæc Vates retulitque jocanter, amica!  
 O quam diversæ te trahit Urbis amor.  
 Nilne times Procerum, gemini nil Principis aulas?  
 Nil quoque Bellonam, quæ tenet urbis ebur.  
 Quid velis ignotos inter, quis carmen amabit,  
 Et quis delitias Martis in urbe Tuas?  
 Sunt ubi Magnates, qvi musam & Pallada spectent!  
 Est ubi sub nostro Delphica terra polo?  
 Hinc maneas potius, cole mecum hoc ruris & urbem,  
 Aptius adveniat cum Tibi tempus, adi.  
 Vel scio quid facies, si sit Tibi tanta cupido  
 Imbelli fortis jam penes esse Viros.  
 Indue Cæruleum, Parnassidos exue cinctum,  
 Amazonem poteris, vel simulare Virum:  
 Vel poteris Martem, Clypeo circumdare pectus,  
 Si velis & geminas ense gravare manus.  
 Sive Deam Belli; circum modo solvito crinem,  
 Atque supra binas Te relocato rotas.  
 Sic transformis eas; & in hocce placebere cinctu,  
 Temporibus cinctus par erit ille Tuis.  
 Dumque tenes urbem, quam multa palatia linque:  
 Sitque modo oculis curia tacta tuis:  
 Neve gradum sistas, socies nec carmina nervis,  
 Quam cum \* \* \* \* sit tibi visa domus.  
 Est puto pallenti est flava circumoblitæ calce:  
 Miles ubi excubias alter & alter agit.  
 Qvam dum rescieris, properes, Heliconi! parumque  
 Dum retrahes animam, in limine siste pedem.

Dieque tuum nomen, frontemque fidemque revela,  
     Et Citharæ carmen vel qvoque junge lyræ.  
 Nec metue, est comis Nymphisque affabilis, esset  
     Clio! velut proles, Melpomeneve! Tua?  
 Est Vir adhuc juvenis; liceat si credere famæ.  
     Quippe mihi nondum notus ab ore fuit.  
 Frons est Ei facilis, ridensque patensque Camenis:  
     Sic quasi, Mæcenas delitiose! Tua.  
 Labraque purpurei sunt plena decoris, ut olim  
     Vaticinor Svatæ dulciloquentis erant.  
 Flamma novusque novusque Vigor translucet ocellos,  
     Temporis ambiguas queis videt Ille vices.  
 Hunc simul ut spectas, erit Is Tibi Magnus Apollo:  
     Illiusque oris forsitan Apollo fuit.  
 Ut venit adpropria parvumque dedisse libellum,  
     Nomine qui Borea est dicta<sup>1</sup> Camena refer.  
 Et nomen fateare meum, fateare Parentis;  
     Eique Tuos narres officiosa jocos.  
 Sive Leonta velis, formosam sive Coronin,  
     Sive referre Tuos, dulcis Olivi! faces.  
 Sunt modo fabellæ, vel res sine pondere, qvales  
     Garrula, cum veniat vespera, narrat anus.  
 Ast ideo volui sint ut sine pondere, mentis  
     Ut bene discutiant pondera multa Tuæ.  
 Et ne dextra vacet, sparsum qvoque porrige carmen;  
     Tingat at exiguus, dum legit, ora rubor.

---

<sup>1</sup> Ed. Gryphisiw.: dista.

Cum legit & narras, si forte supervenit alter,  
 Si rota ferrisonans, saxave pulset eqvus:  
 Tunc tenet aut portam Magnas, aut limina Princeps,  
 Adque Tuas Musas Ille vel Ille cupit.  
 Si, Parnassi! sapis, tunc post aulæa jaceto;  
 Dumque vacet, Phœbum rursus adito Tuum.  
 Si Te Hic Phœbus amet, solet Is per amare Camenas,  
 Quam, Parnassi! mihi magna Minerva foret.  
 Hanc Tibi, Celse Comes! Boream cum mitto Camenam  
 Nox\* est, qvæ vincit pœne nitore dies.  
 Qvam celebrant ludis juvenes, celebrantque venustæ,  
 Quam Dryas & Najas, qvam quoque rura colunt.  
 Ponitur in medio sublimis in aera malus\*\*,  
 E quo cum Lauris pendet Oliva novis.  
 Qvem circum Juvenes saliunt mollesque Puellæ,  
 Altera cum alterius consociata manu.  
 Credere si liceat, sua tunc capit omina Vulgus,  
 Tunc populo sortes Vulgat Apollo suas:  
 Si saltent, referunt, plectantque hâc nocte chorëas,  
 Inde sequens annus delitiosus erit.  
 Hinc ego nunc modulor, nocturnaque carmina pando:  
 Omen inest, annus delitiosus erit:  
 Omen inest, recinent Tibi carmina mille Camenæ,  
 Seque Tibi faciet<sup>1</sup> Musa Borea sacram.

\* Mijomars nättan.

\*\* Dantja omkring majstongen.

<sup>1</sup> Ed. Scar.: facies.

Pompa antefunebris  
Cum Regina Avia Sveciæ  
**HEDEVIGA ELEONORA**  
Comitante Sceptro, Corona, Aula, Milite,  
efferretur ad Sepulchrum.

**F**rangito, Sappho! citharam, fidesque  
Rumpito lætas, Tibi, Nympha! tempus  
Venit, ut tandem incomitata nervis  
Carmina cantes.

Qvæ volaras sic toties ab arcto,  
Fama! in Europen Svionas celebrans:  
Jam sede ad bustum, & simul ede paucas  
murmure voces.

Gloriæ arctoæ Dea! tot triumphis  
Clara, tot lauris, geme! proque Lauro  
Sit Tibi jam Vitta, loco triumphi  
Pompa doloris.

Tu terror qvondam populis decore!  
Aureum Sceptrum! quid adhuc smaragdis,  
Qvid micas astris, comiteris urnam  
usque sub orbem.

Tuque qvæ splendes adamante, qvæque  
 Purpuram illustras radiis, Corona!  
 Jam cuba pulvino in atro, jaceque  
 pallida gemmis.

Aula! tot qvondam Proavis avisque  
 Inlyta, Europeis qvoque sidus aulis.  
 Jam minor justo es, comitare pompam,  
 orba Parente.

Miles Arctœ! hanc qvoque claude pompam;  
 Moeste & inversis spatieris armis!  
 Atque humi spectes, & amicta pullo  
 Pectora plangas.

Tu Parens Tellus\* Veterum Gothorum!  
 Gentium Bellona & origo qvondam!  
 Jam comis passis laceroque amictu  
 adgeme pompæ!!!

---

## In

Fabros qui majores ferri massas formant.

**A**Dmovet Hic pondus rude præcipitatque Caminis,  
 Hic ustum lignum suggerit, Ille faces.  
 Succutit & versat massam hic, hic forcipe prendit,  
 Incudi candens ille reponit onus.

\* Svecia.

Hic circum incudem pergit, diffingit & ornat,  
 Ingerit hic rivum grande sonantis aquæ.  
 Ex sonitu surdi stabant, ex sulphure nigri;  
 Adde modo rugas ora Charontis erant.

---

In  
 Fodinam Fahlunensem.

**E**N mirum! in situlâ superis delabor ab auris,  
 Et feror ad manes pendulus usque nigros.  
 Sed mihi dum medio vibrabar in aere pendens,  
 Dulce fuit sacros concinuisse modos,  
 Dulce fuit tenuem fragilemque expendere vitam,  
 Funis ab arbitrio qvæ mihi tota stetit.  
 Ecce in fodinæ latebris ruit infera turba,  
 Sub vultu fusco me comitesque stupens:  
 Subvolvit lapides pars, pars in pulvere sudat,  
 Dejicit hic lignum, suggerit Ille faces.  
 Ille subit latebras, Hic exserit ora lacunis  
 Usta, Charon vel qvæ rideat ipse niger.  
 Nititur hic tremulis scalis, subsidit in urna  
 Hic, medium tantum sustinet urna virum.  
 Hic sinuosa terit strata, hic et pergit in orbem:  
 In gyrum parvos Ille recurvat eqvos.  
 Omnia qvid memorem, sunt plena laboris & artis,  
 Non ars materiâ est, illa nec arte minor.

---

In nuptias Cujusdam dictæ Aurora  
cum Sene.

**N**Ilne Tui pigeat, nullo sis tactane luctu  
Velle apud antiquum nocte jacere virum.  
Si sapis, Aurora! cito qvolibet aufuge mane,  
Et Phœbum in cœlos concomitare Tuum.

---

In Auroræ Cuiusdam & Juvenis nuptias.

**I**nnumeros ambo numeretis ut ordine Soles,  
Auroras nullas Luciferosque precor.  
Scilicet ut vestros Aurora & Lucifer inter  
Transeat amplexus delitiasque velim.

In Eosdem.

**P**Ulehra Tuo irradiet semper Matuta cubili,  
Fervidus & medio Sponsus in igne cubet.  
Non timeas tenebras, semper Tibi crastinus atque  
In medio, miror, noctis apricus eris.  
Cum Tua puniceis thalamis Pallantias exit,  
Tempora tunc dicam noctis opacus agis!

Aliter.

**D**Iva modo pernox amplectitur ipsa maritum:  
Anniculus gremio Tu sed inesse potes.

---

In Juvenis & Vetulæ muleris nuptias.

**C**Ur vetulam ducis, Juvenis peramande Puellis?  
 Cur gelidam calido vis refovere sinu.  
 Credideris forsan recalescere posse morando,  
 Ut gelidum qvondam Pygmalionis opus.

### Aliter.

**Q**Vid velis, o Juvenis! Vetulam Tibi jungere lecto;  
 Et gremio tantum qvid refovere gelu.  
 Est veluti glacies, fortasse liqvescat in undam,  
 Cum flammis circum fota sit illa tuis.

### Aliter.

**N**On bene conveniunt nec in unâ sede morantur,  
 Qvæ sunt naturis dissociata suis.  
 Mollia cum duris, cum siccis humida certant;  
 Cumque igne & calidis frigida pugnat hyems.  
 Num par hoc dispar concordia svavia junget,  
 Sicca dabit Juvenis, humida reddet anus.

### Aliter.

**Q**Vot Tibi non canerent mea Carmina vota, Belinda!  
 Qvot non optarem delitiosa tori.  
 Si prius, ut fueras olim, juvenescere posses;  
 Sique novata annis Colchidos arte fores.

---

In par senile cum inirent nuptias.

**C**Ypri! move risum, festisque applaudite Musae!  
In numeros tremule, curva Senecta! rue.  
En celebrant tædas, ineuntque recentis amoris  
Fœdera, quevis ardor nullus & ignis inest.  
Sic reor umbra umbræ, sic viti jungitur ulmus:  
Marmora Sculptoris sic sociantur ope.

### Aliter.

**R**Uga Tua, o mulier! sulcet qvam tortilis ora;  
Inque qvot est pellis ducta reducta plicas.  
In rugis habitas, qvas si replicare per orbem  
Posses, o esses qvam spatiosa gigas,  
Corpore credo tuo gemino fores æqva Parenti,  
Et totum posses intus habere Virum.

---

In Doctissimi & Pulcherrimæ Nuptias.

**O**bene qvam Docti circumdent brachia Pulchram:  
Qvam bene formosas ingeniosus amet.  
Nam mens in qvovis habitat mortale superne,  
Forma loco semper inferiore jacet.

### Aliter.

**O**qvam sis cultus, nove Sponse! at cultior illa  
Ex Te vaticinor post breve tempus erit.

---

In Poetæ & Puellæ Nuptias.

**I**Ncole Parnassum nunc, Sponse! adamaque  
Camenam;  
Virgineumque sinu nunc Helicona fove.  
Sique dies æstu caleat, si labra sitescant,  
Ex aganippeo plurima fonte bibas.  
Carmina cum cantas, cum plectis pectine nervos,  
Tangere fac nervum discat ut Illa tuum:  
Et cum per resonas jam ludis arundine silvas,  
Non procul a sponsâ ludat arundo Tuâ.

Aliter.

**E**N vates! geminam sed in unâ virgine Musam  
Tam, Romane! tuam, qvam qvoque, Svece! tuam.

Epithalamium in amici poetæ Nuptias.

**A**Rmisoni strepitus procul hinc procul este timores;  
Et triplex triplici rumor ab hoste tace.  
Ast Citharæ subeant ac pulsi pectine nervi:  
Multa Tibi & svetis gaudia juncta jocis.  
Ad numerum nymphæ saliant plaudantque chorëas,  
Molliter alternent hæ sinuentque pedes.  
Nam datur *x x x x* conjux datur ecce *x x x*  
Incipiunt pariter conjugæ & ambo frui.  
Ille lyrae solers tot amatus sæpe Camenis,  
Unius est Nymphæ non nisi factus amor.  
Dicitur Hæc (liceat laudanti credere famæ  
Cum nec adhuc oculis nota sit Illa meis)

Moribus esse Charin; oculis ac arte Minervam:  
 Et labiis Floram; ac ore genisque Cyprin.  
 Possidet has Divas junctim spectatque tenetque  
 \*\*\*\*\*, teneat possideatque precor!  
 Pluribus una Charis placuit sive una Minerva;  
 Ast Hic, multorum qvod fuit, unus habet.  
 O novies faustum! o veneris sub sidere natum!  
 Cujus in amplexum hæc Sponsa venusta venit.  
 Vaticinor decimo cum Luna moratur in orbe,  
 Sponsus erit genitor, sponsaque mater erit.  
 Sive Puer niveus vestrum distingvet amorem:  
 In vestra aut ludet parva puella domo.  
 Moribus Hi referant Charites referantve Parentes;  
 Ore suam matrem Hæc reddat, Hic ore Patrem:  
 Noscitet ut genitor parvâ sub imagine vultus  
 Ipse suos; videat Mater ut ipsa suos.  
 Sin numerosa domus fiat, sique annua proles;  
 Hic Matrem, Hic Patrem, Hic effigiabit avos.

---

In obitum Puellæ dictæ Dorothea  
 in veris tempore.

CUm Ver extinctos veteresque regnere flores,  
 Atque animare solet qvæ periere rosas;  
 Majaque cum veniat, cum circum serta Puella  
 Et Juvenis palmis consociata ruit;  
 Tunc, Dorothea! fugis, tunc Ver dulcesque Chorëas  
 Linquis & in brumæ tempora tristis abis.

Es quasi Narcissus, solet is pallescere, primi  
Tempora cum veris pulchraque Maja venit.

**Aliter.**

**C**Um novus in Vernos ales fert stramina nidos,  
Cum conjux volucer se super ova locat:  
Tunc cadis exanimis, nec pullos elicis ovis;  
Nidulus exiguae nec tuus abdit aves.

---

In Poetam naufragum & ejus Camenam.

**P**roh dolor! in gelidis jacet Is gelidissimus undis,  
In cujus tantum lampadis ore fuit:  
Proh dolor! in frigus formosus vertitur ignis,  
Atque in pallorem tantus in ore rubor.  
Quid cum Vate velis, Raptor! non cantat in undis,  
Et tibimet Musam non dabit ille suam.

**Aliter.**

**E**n perit in gelidis, proh luctus! naufragus undis  
Carminibus poterat qvi sociare fidem.  
Eece suo junetim moritur cum Vate Camena;  
Num Dea sic possit numne Camena mori.  
Cumque Illo junetim moritur qvoque multus Apollo;  
Numne Deus possit, num vel Apollo mori.  
Ah non! Musa modo vivat, modo vivat Apollo;  
Crede mihi haud poteris, Chare Poeta! mori.

## Aliter.

**C**Redere fragmentis si vis, est Vena Poetis;  
**C**Et dulcis Vatum rivus ab ore fluit:  
 Sed Tibi cum tantis sic naufragus incidis undis,  
 Nullus erit rivus nullaque vena magis.

---

## In Poetam qvi sa in sagum produxit.

**V**Ox velis ut sagi sit se productior, ipse  
 Nolis & ut bellum sit breve sitque sagum:  
 Te toga fortassis, Vates! vel pacis amictus,  
 Sed scio non poterit nobilitare sagum.

---

In libellum nostrum dictum Dædalus  
 Hyperboreus.<sup>1</sup>

**D**Ædalus en auras carpit, ridetque superne  
 Qvos sibi Rex Minos struxit in orbe dolos.  
 Auras arte tuâ sic tu, mi Dædale! carpe,  
 Atque dolos ride qvos Tibi turba struet.

---

<sup>1</sup> Hoc tetrastichon impressum est paginae tituli editionis *Daedali Hyperborei*, quae descripta est typis Wernerianis Upsaliae 1716. cu-  
 jusque praefatio data est »Upsala den 23 October. 1715».

**Aliter.**

**T**E qvia tot vallis Minos, qvia milite claudit,  
Atque Tuæ in patriâ vile sit artis opus:  
Dædale finge alas! transque æqvora dirige cursum;  
Non ibi clausus eris, non ibi vilis eris.

*[Aliter.<sup>1</sup>]*

**S**Æcula vel redeunt, & prisca reluditur ætas;  
Vel redit in tempus Dædalus ipse suum,  
Quippe olim medios sic fugerat Ille per hostes;  
A nostro ut noster Dædalus hostile fugit.

**In parentis mei Schibboleth.**

**D**Iscimur hic, Genitor! liber est tuus ille Magister;  
Qvomodo sit proavus sitque loqvtus avus.  
Qvaliter & noster, domuit cum Tevtonas, inter  
Rite loqvebatur Magnus Adolphus avos.  
Qvaliter Herois tanti qvoque Nata sit olim  
Cum Musis cultâ voce loqvuta suis,  
Qvaliter & subitis Hostem qvi terruit armis  
Gustavus nostri Carolus orbis honor.

<sup>1</sup> Hoc tetrastichon in Ludo Heliconio non invenitur; impressum autem est paginae tituli libri *Daedalus Hyperboreus*, quae pagina descripta est typis Wernerianis Upsaliae 1716 una cum praefatione data «Stockholm den 23 December 1715». — Exstat etiam haec pagina tituli, ceterum eadem et praefationi eodem die datae praefixa, sed indicans se Holmiae 1716 typis Wernerianis impressam esse. Werner enim typographus regius Holmiae idemque typographus Academiae Upsaliae erat.

Dicta doces Regum magnisque insculpta trophyis  
 Verba, & tantorum in marmore sculpta Ducum:  
 Sed qvia jam veterum sunt rudera facta trophyæ.  
 Verba simul pereant ne qvoqve tanta caves.

### Aliter.

**E**N duplici triplici fortis Svio cingitur hoste,  
 Hic Danus infelix, hic qvoque Tevto venit!  
 Sed patriam violet ne Tevto Danusque loqvelam,  
 His queiscunque potes viribus ipse caves.

### Aliter.

**Q**Vid, Svio! nilne sapi, nil qvam præsentia curas,  
 Et modo spectari qvod qveat ante pedes.  
 Neve, oblite Tui! vis præscius esse futuri,  
 Nec bene præteriti temporis esse memor  
 Sed, Genitor! melius, præsentia nosse simulque  
 Qvæ fuerant & qvæ præteriére, doces.

### Aliter.

**C**Um Tua flagravit, Pater optime! villa, disertum  
 Per flammas referunt hunc periisse librum.  
 Usque at adhue vivit, subiit non ille supremos,  
 Neve gravis Sviōnum lingva decusque rogos.

### Aliter.

**S**Vada vetus Sviōnum moritur, vos ducite pompam;  
 In Te sed rursus fit rediviva, Parens!

---

In Amazonem Victam a milite.

**Q**Vid sis crudelis? quid mollem sœvis in hostem?  
Stringe modo gladium, & victa Virago cadet.  
Seque, dabit veniam, spoliare ut possis opimis;  
Telaque sub medio condere crebra sinu.

---

In militem imbellem, qvi vulnus lethale  
sub pectore accipit.

**C**Redere si liceat, latitat sub pectore Virtus,  
Cum Vitâ Virtus estque necata tuâ.  
Morte peris duplici, miles! Tecum sub eadem  
Ipsa Tui virtus nam tumulatar humo.

In alium Vulneratum sub latere.

**C**Redere num possis, plures timuisse Venustas,  
Heu! læsi lateris, qvam timuisse Tui.  
Turba Puellaris qvasi saucia Vulnere, Temet  
Reddere nulla magis Vulnera posse putat.

---

In Parentis mei effigiem æneam qvæ non  
liquefacta est in domus ejus incendio.<sup>1</sup>

**H**Aec erat in mediis facies illæsa favillis:  
Cum deflagravit nocte fluente domus.  
Sic qvoque post ignes, Genitor! tua fama supremos,  
Postque rogos vivet nomen amorque Tui.

<sup>1</sup> Hoc tetrastichon postea insculptum est ipsac laminae æneae imaginis SWEDBERGII ab H. C. FEHLINGK delineatae et a J. CHR. BÖCKLIX invisac. — Aliud epigramma ejusdem argumenti v. pag. 66.

**Aliter.**

Mira audi! in flammis hæc sculpta latebat imago,  
Deflagrante domo; nec liqefacta fuit.  
Adspice, spectator! pietas his qvanta labellis  
    Insit; ut & plenus qvam gravitate decor.  
Qvæ doctrina latens, qvæ vis lucescit ab ore:  
    Qvis faciei qvosvis afficientis amor.  
Culpa foret tanto ni flamma pepercerit æri,  
    Reppuleritque suas hujus ab ore faces.

---

Continet hic liber:

- I. Versus gratulatorii ad nuptias Pastoris JOHANNIS KOLMODINI et BEATAE HESSELIAE a. 1700 celebrandas. Sine loco. 4<sup>o</sup>. 4 pagg.

JESPERUS SWEDBERGIUS altero matrimonio patri BEATAE affinis erat.

- II. Versus gratulatorii ad actum sollemnem, quo CHRISTIERNUS GEORGIUS NOTMANUS, Phil. Cand., pro gradu philosophico commentationem *Auspicia Christianorum in Livonia* praeside JOHANNE ESBERGIO defendit. Upsalis 1700.

Commentatio JESPERO SWEDBERGIO a NOTMANO dedicata est.

- III. Versus gratulatorii ad actum sollemnem, quo BENEDICTUS BREDBERGIUS, Phil. Cand. Scara-Gothus, pro gradu philosophico commentationem *De Asterismis* praeside PETRO ELVIO defendit. Upsalis 1707.

Errore hypothetarum commentationi subscriptus est annus 1607.

- IV. Carmen funebre ad exsequias Archiepiscopi ERICI BENZELII Upsaliæ anno 1709 celebrandas. Impressum Scaris. 4<sup>o</sup>. 4 pagg.

Deest nomen auctoris, sed annotavit DANIELUS TILAS (1712—1772) in eo exemplo, quod in Bibliotheca Regia Holmiensi asservatur, carmen a SWEDENBORGIO scriptum esse. — Sorores SWEDENBORGHII ANNA et HEDVIG nurus defuncti erant.

- V. JESPERI SWEDBERGII carmen Svecicum *Ungdoms Regel och Ålderdoms Spegel* latine redditum a filio EM. SWEDENBORGIO. Scaris 1709. 8<sup>o</sup>. 4 folia. — Additum est exemplum Svecicum.
- VI. Versus gratulatorii ad actum sollennem, quo ANDREAS AMBERNI UNGEUS, poëeos et eloquentiae Lector Scarensis, commentationem *De consummatione mundi* praeside JOHANNE PALMROOTIO defendit. Upsaliae 1710.

Commentatio JESPERO SWEDBERGIO ab UNGEO dedicata est. — Titulus quem exhibuimus pag. 20 praecedit versus gratulatorios ad respondentem ab A. O. RHYZELIO scriptos, quos subsequitur carmen SWEDENBORGHII hoc solum verbo inscriptum: EIDEM.

- VII. Epigramma ad sepulcrum ISAACI CASAUBONI in Westminster Abbey. 1710.

Ex litteris ad ERICUM BENZELIUM fil. Londini m. Octobri 1710 datis, quae in bibliotheca dioeceseos Lincolensis asservantur.

- VIII. Versus ad SOPHIAM ELISABETHAM BRENNERIAM. 1710.

Impressi sunt, una cum aliis carminibus in honorem ejusdem scriptis, in libro SOPHIAE ELISABETHAE BRENNERIAE.

NERIAE, qui inscribitur *Poetiske Dikter*, [Tom. I,] Holmiae 1713, fol. D 2, insertique etiam editionibus *Ludi Heliconii* a. 1826 et 1841.

- IX. Versus gratulatorii in diem natalem patris JESPERI SWEDBERGII 1716. Scaris. 4<sup>o</sup>. 4 pagg.

Inserti editionibus *Ludi Heliconii* a. 1826 et 1841.

- X. Postscriptum ad »Miscellanea observata» a SWE-DENBORGIO ad ERICUM BENZELIUM fil. Leodio missa, dat. die 12 Dec. 1721.

Autographum auctoris in bibliotheca dioeceseos Lin-copensis asservatur.

- XI. Fabula de amore et metamorphosi Uranies in virum et in famulum Apollinis, dedicata Senatori Regni Comiti MAURITIO WELLINGK. Naupotami 1722. 4<sup>o</sup>. 4 folia.

Inserta editionibus *Ludi Heliconii* a. 1826 et 1841.

- XII. Versus ad diem festum Regis FREDERICI celebrandum Medevi 1722 d. 18 m. Julii.

Autographum auctoris in bibliotheca dioeceseos Lin-copensis asservatum adjunctum est litteris regi datis, quibus novas vias ac rationes ad metalla aeris majore lucro exercenda commendat, dat. Medevi d. 14 ejusdem mensis.

XIII. Carmen in typographiae solenne saeculare tertium celebratum Lipsiae 1740.

Impressum est una cum aliis carminibus ejusdem generis hoc titulo communi: »Carmina in typographiae solemne seculare tertium celebratum Lipsiae A. C. MDCCXL» in *Gepriesenes Andencken von Erfindung der Buchdruckerey wie solches in Leipzig beym Schluss des dritten Jahrhunderts von den gesammten Buchdruckern daselbst gefeyert worden*, Leipzig 1740, pag. 93, et insertum editionibus *Ludi Heliconii* a. 1826 et 1841 hoc titulo: »In paeconium inventionis typographiae. Lipsiae 1740», qui titulus in archetypo Lipsiensi non invenitur.

XIV. Ludus Heliconius. Ed. 1. Gryphiswaldiae s. a. 4<sup>o</sup>. 10 folia. — Ed. 2. Scarae s. a. 4<sup>o</sup>. 16 folia.

Nostra editio ad similitudinem editionis Gryphiswaldensis impressa est additis eis quoque carminibus, quibus aucta est editio Scarensis, scilicet inde a carmine »Ad virum celsissimum» (p. 67). Carmina autem in editionibus a. 1826 et 1841 insuper addita, quippe quae in editionibus ab ipso curatis non reperiantur, servato temporis ordine ante *Ludum* inserta sunt.

Editio Gryphiswaldensis impressa est, dum Swedenborgius Gryphiswaldiae versatur, a. 1714—1715; editio Scarensis sine dubio a. 1716 vel 1717 prodiit. — Editiones a. 1826 et 1841 perperam dicuntur esse 2. et 3.; sunt enim 3. et 4., ignota iis temporibus editione Gryphiswaldensi.

















113033

Swedenborg, Emanuel  
Opera poetica.

LL  
S9744p

**University of Toronto  
Library**

**DO NOT  
REMOVE  
THE  
CARD  
FROM  
THIS  
POCKET**

---

Acme Library Card Pocket  
LOWE-MARTIN CO. LIMITED

